Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Thelogica universa - Ettenheim-Münster 107 - Tom. I

Cartier, Gallus

[S.l.], 1745

Pars prima

urn:nbn:de:bsz:31-111007

Visual Library

Tomi Primi

Theologia Universalis ~~Ethnicorum~~ 1.

~~Tomi Primi~~

Tractatus Primus.

De S. Scripturâ ejusque Autoritate.

De S. Scripturâ primò agimus; meritò enim sibi præ cæteris Locis Theologicis primam Sedem vindicat, ut quæ dignitate eosdem longè antecedit, et à quâ penè omnia ex reliquis petita argumenta tanquam à fonte primariò profluunt, necnon ad quam omninò referuntur.

Duabus singillatim partibus de ipsâ hîc agere nobis est animus, ne multa simul permiscentes Scriptioni nostræ confusionem aliquam afferamus.

In primâ igitur parte tractabimus de S. Scripturâ generatim: In secundâ verò de singulis S. Scripturæ libris.

Pars Prima.

De S. Scripturâ generatim.

Octo Capitibus hanc Tractatûs nostri de S. Scripturâ partem primam definimus. In primô, quid sit S. Scriptura, et quinam ipsius libri exponemus. In secundô, de ipsius veritate et integritate agemus. In tertiô Divinam ipsius auctoritatem tuebimur. In quartô, de modô Divinæ inspirationis Sacrorum Librorum horum disseremus. In quintô, varios Variorum ejusdem S. Scripturæ Canones referemus, et Catholicorum Canonem tuebimur. Sextum erit de obscuritate et multiplici S. Scripturæ sensu. Septimum, varias illius editiones et versio-

mit Citiers antiqu. ex Pfaffly

2. nes exhibebit. In octavô denique, nonnulla de ponderibus, monetis, mensuris, et vasis, quæ S. Scriptura passim commemorat. Item de annô et mensibus Hebræorum, necnon de Masorâ et Masorethis disserenuus.

2.10.

Caput Primum.

Quid Sit S. Scriptura, et quinam ejus Libri.

1 S. Scriptura nomine intelligimus librum Spiritu Sanctô inspirante et velut dictante conscriptum, quo continetur Doctrina Verbumque Dei hominibus propositum. Scriptura Sacra igitur est Verbum Dei Scriptum, quod, ut ait S. Petrus, *Spiritu Sanctô inspirante locuti sunt Sancti Dei homines.

(a) * 2. Pet. c. 1.

Dicitur Scriptum, ut distinguatur à Traditione divinâ, quæ, prout hô locô fusiùs dicetur, est Verbum Dei non Scriptum.

Aliis nominibus S. Scriptura nuncupatur modò Verbum Dei simpliciter, intelige tamen Scriptum; quia prodit à Deô; olim, ait Apostolus*, Patribus in Prophetis, et novissimè diebus istis in filiô loquente nobis. Modò Testamentum Dei; quia singularem suam ergà homines voluntatem et mentem per eam testatur et exponit. Modò Lex Divina; quia Dei Legem tam Veterem, quàm Novam, illam Judæis, istam Christianis propositam recenset. Modò Scriptura Sancta; quia nihil nisi Sanctum, et ad hominum sanctificationem et Dei gloriam ordinatum continet. Modò Biblia, id est, Libri à voce Græca Biblion antiquitùs et Latinè sonante Papyrum, plan-

* Heb. c. 1. v. 2.

(6)

tam Aegyptiacam, ex qua olim cartha con- 3.
ficiebantur, ideoque hodie Librum significante. Ideo autem Biblia seu Libri simpliciter et sine additô nuncupatur, quia cæteros cujusunque argumenti libros digni- 1
tate longè antecellit. His et aliis nominibus, inquam, Sacra Scriptura insignitur: vulgò tamen simpliciter, et velut per antonomasiam Scriptura nuncupatur.

Generatim duplex est, Vetus scili- 2.
cet et Nova: illa Vetus, hæc Novum Testamentum vocari solet. Vetus Testamentum est illa Scriptura, qua libri Spiritû Sanctô inspirante à viris Sanctis ante adventum Christi exarati continentur: Novum autem est ea Scriptura pars, quæ post Christum vulgata fuit.

Universim Scriptum istud Dei Ver- 3.
bum /: juxta Canonem Ecclesiæ Catholicæ, de quo agemus hôlocô :/ Septuaginta duos comprehendit Libros, quadraginta quinque Veteris, et Viginti Septem Novi Testamenti. Eos hoc ordine enumerat Concilium Tridentinum*. Veteris * Sess. 4. (c)
Testamenti quidem: Pentateuchus, seu quinque Libri Moysis, ut Genesis, Exodus, Levitius, Numeri, et Deuteronomium: Josue: Judicum: Ruth: Quatuor Regum: Duo Paralipomenon: Esdræ Primus, et Secundus, qui dicitur Nehemias: Tobias: Judith: Esther: Job: Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum: Pro-

4. verbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus: Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel; Duodecim Prophetæ Minores, scilicet, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias: Duo Machabæorum, Primus, et Secundus. Novi Testamenti sunt, Quatuor Evangelia, secundùm Matthæum, Marcum, Lucam, et Joannem: Actus Apostolorum à S. Lucâ conscripti: Quatuordecim Epistolæ S. Pauli Apostoli, quarum una ad Romanos, duæ ad Corinthios, una ad Galathas, una ad Ephesios, una ad Philippenses, una ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, una ad Titum, una ad Philemonem, et ad Hæbræos una: S. Petri Apostoli duæ: S. Joannis Apostoli tres: S. Jacobi Apostoli una: S. Judæ Apostoli una: et Apocalypsis S. Joannis Apostoli.

4. Horum omnium sacrorum librorum alii dicuntur Legales, in quibus videlicet divinæ leges promulgantur; ut sunt in Veteri Testamentô primi quinque libri Moysis, Genesis scilicet, Exodus, Levitius, Numeri, et Deuteronomium. In Novô, quatuor Evangeliorum Libri, Matthæi, nempe, Marci, Lucæ, et Joannis; qui Legem à Christô latam continent.

Alii sunt Historici, in quibus videlicet rerum gestarum historia narratur, sunt-que in Veteri Testamentô hi Septemdecim: Josue, Judicum, Ruth, Quatuor Regum, Duo Paralipomenon, Duo Esdræ, Tobias, Judith, Esther, Job, et Duo Machabæorum. In Novo Testamento autem, est Unicus Actuum Apostolorum liber, in quo Apostolorum gesta narrantur.

3. 11

Alii vocantur Sapientiales, in quibus nempe vera Sapientia exponitur: Suntque in Veteri Testamento isti quinque, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Sapientia, et Ecclesiasticus. In Novo autem 21. numerantur: Quatuordecim Epistolae S. Pauli: Duae S. Petri: Tres S. Joannis, una Jacobi, et Judae una. In quibus Novae Legis Sapientia per exempla atque praecepta secundum Christum beatè vivendi plenissimè traditur.

Alii denique Prophetici nuncupantur, in quibus futura praenuntiantur; Suntque in Veteri Testamento hi octodecim: Liber Psalmorum Davidis, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, et alii duodecim Prophetae Minores. In Novo autem Apocalypsis, in qua Status Ecclesiae Christi futurus praedicitur.

Caput Secundum.

De Veritate, et integritate Sacrae Scripturae.

Duo praesenti Capite examinanda et disutienda suscipimus: 1.o Num libri, qui Sacrâ Scripturâ universim continentur, veri sint, et non supposititii. Ubi notandum, quod veritatis nomine hic non intelligatur Sententiarum, quae in Scripturis continentur, conformitas cum veritate, sed realitas, ut loquuntur; Sequaritur, utrum Scripturae, quae dicuntur Sacrae, sint veri libri, prout verum opponitur supposito, ut jam dictum.

2.do Num hi Sacri Libri integri,

|Nr.

idest, incorrupti ad nos fuerint perlati. His ita premissis, quantum ad primum ponitur

Conclusio prima.

Libri, qui universim Sacrâ Scripturâ continentur, non sunt libri Suppositicii, sed omninò veri.

Prob. Ili libri non sunt Suppositicii, sed omninò veri, qui communi existimatione exarati fuerunt ab iis Autoribus, quibus tribuuntur, et iis circiter temporibus, quibus Scripti feruntur. Atqui libri omnes, qui Sacrâ Scripturâ continentur, communi existimatione exarati fuerunt ab iis Autoribus, quibus tribuuntur, et iis circiter temporibus, quibus Scripti feruntur. Ergo non sunt libri Suppositicii, sed omninò veri.

|2

Major constat. Eminverò non minor utique ratio habenda est Sacrorum Scripturæ librorum, quàm aliorum antiquorum tam Ecclesiasticorum, quàm Profanorum librorum, ut putà Commentariorum Cæsaris, Operum Ciceronis, S. Augustini, ꝛc. Atqui alio argumentò probari non potest, hos Autorum istorum, utet plurimorum aliorum Veterum Scriptorum libros et Opera, non esse libros Suppositicios sed veros, quàm quòd quovis Sæculò adscripti fuerint Autoribus, quorum nomina præ se ferunt; existimatumque sit, eos fuisse Scriptos iis circiter temporibus, quibus Scripti feruntur. Ergo à fortiori ratione libri S. Scripturâ contenti Suscipiendi sunt tanquam omninò veri nec Suppositicii, si communi existimatione exarati fuerunt ab iis Autoribus, quibus tribuuntur, et iis circiter

temporibus, quibus Scripti et exarati ferun- 7.
tur.

Ob. Min. Judei, qui Moysis ætate vixe-
runt, Pentateuchum suis posteris tradide- 3. 12
runt, tanquam germanum idius fœtum, et si non modò eorum scelera, sed et Legem ipsis summè molestam ac terribilem continaret. Idem dicendum de aliis S. Scriptura Libris in Canone Hebræorum contentis; quippe quos Judei horum Librorum Scriptoribus coetanei filiis suis ac popularibus tanquam ab ùs, quorum nomina præ se ferunt, Scriptos commendarûnt; atque sic, nunquam interruptâ serie temporum, ad posteros delati fuerunt.

Eodem prorsùs argumentô contendimus, Novi Testamenti Libros esse genuinos seu veros, Scriptosque ab ùs Auctoribus, à quibus Scripti dicuntur, et ùs temporibus, quibus Scripti feruntur. Qui enim audierunt Apostolos Christiani, filiis et posteris suis eosdem libros velut genuinos Apostolorum et Evangelistarum partus tradidêre, sicque ad nostram usque ætatem de manu ad manum, ut ita dicam, pervenêre.

Hinc factum est, ut Judæorum Synagoga ad nos usque detulerit Veteris Testamenti libros. Hinc etiam Ecclesia Christiana à suis incunabulis usque ad hæc nostra tempora pro veris ac genuinis habuit omnes libros, qui Biblìs continentur, prout ubi de singulis his sacris libris nobis erit sermo clarè demonstraturi sumus.

Concludendum igitur, vel omnes totius Mundi historias pro fabulis esse haben-

8. das, neque ullius hominis testimonium valere ad faciendam fidem de facto aliquo; quod asserere profectò extremæ esset dementiæ, vel quòd Libri S. Scripturâ contenti sint veri Libri, ipsorumque autores verè extiterint. Non enim magis verum est, Alexandrum, e.g. et Cyrum olim extitisse, quàm Moysem, aliosque, qui Sacra Biblia conscripserunt.

Conclusio Secunda.

6. Libri, qui S. Scripturâ continentur, sive Veteris sive Novi Testamenti, omnes integri ad nos perlati fuerunt, saltem quoad partes ipsorum substantiales, quæ fidem nempè, moresque respiciunt.

Prob. Conclusio, quantùm ad Veteris Testamenti Codices, 1.º ex Scripturâ. Christus Matth. 23. auditores suos hortatur, ut, quæcumque ipsis dixerint Scribæ et Pharisæi, hæc ipsi servent: Super Cathedram Moysi, inquit, sederunt Scribæ et Pharisæi, quæcumque ergo dixerint vobis, servate. Item Joan. 5. idem Servator noster Judæos ad scrutandas Scripturas invitat: Scrutamini Scripturas, inquit, illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Atqui non ita absolutè, et sine ullâ præmonitione auditores suos hortatus fuisset, ut Verbi Divini corruptores audirent, et eorum ex Scripturâ allegata sequerentur; neque ipsos Judæos scrutari jussisset eas Scripturas, quas ipse omninò et præsertim in iis, quæ ad fidem et mores pertinent, cor-

ruptas scivisset. Ergo integra et incorrupta erant, et ut tales ad nos usque perlata fuerunt. #9.

Adde, quòd testimonia, quæ à Christô et Apostolis ex Veteri Testamentô adducta sunt, omnia nunc etiam inveniantur in Moyse et Prophetis iisdem planè verbis, quibus ab illis adducta fuêre. Manet ergo, libros, qui sacrâ Scripturâ continentur, nunquam fuisse depravatos, saltem quoad substantiam, et ea, quæ fidem, moresque spectant.

Prob. 2do ipsorum Judæorum testimonio: Tanta fuit ipsorum erga sacros codices religio, ut potiùs mortem eligerent, quàm ut paterentur, eos, vel in minimô quòd fidem moresve spectaret, immutari. Ergo nec immutati aut depravati fuêre. 5.13

Ant. prob. ex Philone*: Scribit ipse, quòd usque ad tempora sua, per spatium amplius quàm duorum millium annorum, ne verbum quidem fuisse unquam in Lege, idest, in Sacris Veteris Testamenti Libris, mutatum, et quemlibet Judæum centies potiùs mortem subiturum, quàm ut patiatur Legem in aliquo mutari. (9)

* lib. de egressu filiorum Israël ab Ægyptô apud Euseb. lib. 3. præparat. evang. c. 2.

Prob. 3tio ex SS. Patribus. Pro omnibus sufficiant Hieronymus et Augustinus: Prior tuetur, Scripturas Veteris Testamenti ab Hebræis nunquam fuisse vitiatas, quia aliàs Christus et Apostoli crimen istud illis exprobrassent: Nunquam, inquit*, Dominus et Apostoli, qui cætera crimina arguunt in Pharisæis, et Scribis, de hoc crimine, quòd erat maximum retinuissent. S. Augusti- (e)

* Ad c. 6. Isai.

(4) * Lib. 18. de Civ. c. 43. 14. rus verò asserit,* Judæos nec potuisse nec voluisse Sacros depravare Codices: Anne credibile est, inquit, ipsos Codicibus suis voluisse eripere veritatem, ut nobis eriperent auctoritatem, vel per totum orbem dispersos potuisse in hoc conspirare nullo contradicente.

Cum enim in singulis familiis, saltem Tribûs Levi, ut potè Altaris ministerio consecrata, asservarentur Sacri Codices et ubique terarum eos Judæi penes se haberent; impossibile fuisset, ut substantialis corruptio in aliquibus Capitibus fieret, quin eam aliqui observassent, eidemque pro viribus obstitissent; præsertim cùm Judæi incredibili Zelô ac reverentiâ Sacros prosequerentur Codices; prout jam tum ex Josephô, tum ex Philone ostendimus.

Prob. 4tò Ratione Theologicâ. Si Judæi fortè in Christianorum odium depravare voluissent Sacras Scripturas, tum vel maximè id egissent quoad vaticinia de Christô, necnon loca illa, quibus præcipua Religionis Christianæ Capita contineri perhibentur: Atqui eas quantùm ad hujusmodi loca et vaticinia non depravarûnt; siquidem in iis ipsorum Codices optimè cum nostris concordant, et solummodò quoad mendas fèrè momentiores, et quæ nec fidem nec mores spectant, ab his recedunt, p. Ergo Judæi Sacras Scripturas mutatenus depravarûnt, p.

Adde, quòd, si aliqua substantialis depravatio facta fuisset à Judæis in libris Legalibus; eam utique ipsorum adversarii Samaritani, apud quos etiam erant libri isti,

illis objecissent; et vicissim, si à Samaritanis hæc depravatio facta fuisset, hanc utique ipsis etiam exprobrassent Judæi. Atqui neutri hoc fecerunt, prout constat. Ergo et hi Sacri libri ab ipsis neutiquam fuêre depravati, p.

Confirmatur. Ex Sacris Veteris Testamenti Codicibus, prout patet, petuntur invicta pro Christianæ Religionis veritate argumenta. Ergo Dei in suam Ecclesiam providentiæ repugnare videtur, si passus fuisset, ut substantialis depravatio in illis à Judæis fieret; sic enim non invicta duntaxat, sed imbecillia, imò falsa essent plerique ea argumenta, quæ in Christianæ Religionis confirmationem ex iis adducuntur. Unde observat S. Augustinus*, ideò Dei providentiâ permissum esse, ut Judæi per totum orbem dispergerentur, quò ubique proferent monumenta fidei nostræ. Ut Judæi, inquit, tanquam Capsarii nostri libros nostros circumferrent, ut cùm Pagani non credunt, quæ nos de Christô prædicata fuisse dicimus, quasi essent à nobis conficta, mittamus ipsos ad inimicos fidei nostræ Judæos, qui libros nostros circumferunt, quibus eadem habentur, quæ nos prædicamus.

(g) * lib. 18. de civ. c. 46.

Quantum ad Sacros Novi Testamenti Codices eadem profectò argumenta, quæ Veteris Testamenti Librorum integritatem probant, etiam pro illis faciunt.

G. 14

12. ~~ta~~ 1º enim, Libri Novi Testamenti idem sunt, et eodem modò, quantùm ad res, quæ fidem et mores spectant, reperiuntur apud Sectas alioqui sibi invicem infensissimas. Ergo depravari non potuerunt in rebus ad fidem et mores pertinentibus.

Ant. apertum est, et solâ variarum Sectarum Bibliorum lectione comprobatur.

Prob. Cons. Vel hæc depravatio à Catholicis tentata fuisset, vel ab Acatholicis. Neutrum dici potest. Ergo p.

Pb. min. Non primum: id enim ipsi exprobrassent Acatholici. Nec secundum; nam crimen istud arguissent Catholici. Ergo nec à Catholicis, nec ab Acatholicis, adeoque neutiquam depravatio hæc facta fuit.

Argumentum hoc illustratur exemplis penè innumeris, quorum hæc duo duntaxat referimus: Marcion, ut testatur Tertullianus*, plurima ex Novô Testamentô abstulit, Pedilla notavit Epiphanius*; atque in nostris Græcis Codicibus rectè habentur. Ariani quoque abstulerant ex Evangeliô Joannis c. 4. hæc verba: Spiritus est Deus; at id indicavit S. Ambrosius*: et nostri Græci Codices omnes testimonium istud referunt.

h * lib. 5. advers. Marcion.

i * Hæresi 42.

k * lib. 3. de Spiritu S. c. 11.

Pb. 2do Nec tempus, nec modus, nec autores hujusmodi depravationis afferri possunt. Ergo fictitia videtur.

Pb. 3tio Episcopi tum in Conciliis, tum in suis Diœcesibus graves illas Scripturarum sacrarum corruptiones, si quæ alibi tentatæ fuissent, utique deteriissent; imò et singuli ferè Sacerdotes, cùm in horis Canonicis nonnihil ex S. Scripturâ legere teneantur. Atqui nec Episcopi, nec alii Sacerdotes hujusmodi depravationes usquam deteserunt. Ergo nec factæ fuerunt. Adeque necessariò sequitur, Sacros tum Veteris, tum Novi Testamenti Codices nusquam quoad substantiam fuisse corruptos, sed integros ad nos usque perlatos fuisse.

Dixi quoad substantiam; enimverò controvertitur, an non saltem in levioris momenti rebus, et quæ nec fidem nec mores spectant, vitiati fuerint Sacri Codices isti?

Qui ultimis hisce temporibus ab Ecclesiâ Romanâ discesserunt, tuentur Hebræum Veteris Testamenti textum purissimum ad nos fuisse perlatum, atque ideò omnia, quæ aliis editionibus continentur, adeum examinari et emendari debere. Ita Calvinus in Antidotô Concilii Tridentini; Kemnitius in examine ejusdem Concilii; et Georgius Major præfatione in Psalmos.

At contrà solidè contendunt Catholici, hodiernum Veteris Testamenti Hebraïcum textum non ità purum esse, ut nulla saltem levis momenti errata, et menda in quibusdam illius dictionibus reperiantur,

14.
~~18.~~ quæ quidem sensum ipsum aut parum, aut nihil immutent; atque etiam in Novi Testamenti libris hujusmodi menda quædam irrepsisse; cum quibus pointur

Conclusio Tertia.

7. Sacris Libris tum Veteris tum Novi Testamenti errata quædam et menda inveniuntur aspersa.

Prob. conclusio 1.° quoad Veteris Testamenti Codices. Quia interdum integræ sententiæ desunt in Hebraïco textu, quæ tamen leguntur in Versione Septuaginta Interpretum, ut et in Latinâ S. Hieronymi ex Hebraeâ versione. Sic in Hebraïcô deest tota hæc sententia Exodi. 2. Alium quoque genuit, et vocavit nomen ejus Eliezer, dicens, Deus Patris mei auxiliatus est mihi, et liberavit me de manu Pharaonis. Eam tamen referunt Septuaginta, et Hieronymus.

2.° Psal. 18. Hebraïci Codices legunt, In omnem terram exivit linea seu perpendiculum eorum. Septuaginta autem verterunt: Sonus eorum.

3.° Psal. 21. legunt omnes Christiani, foderunt manus meas et pedes meos. At textus Hebraïcus locô foderunt legit, sicut leo, quod apertè mendosum est.

Denique, ut plura alia omittamus, Isaiæ 9. textus hebraicus legit, vocabit admirabilis &c. cùm tamen versiones omnes, Patres omnes, et ipsa Sacra Scriptura contextus demonstrent, legendum esse, vocabitur admirabilis, Deus fortis, Pater futuri sæculi; hinique inferri debeat,

7
pag. 18

hæc epitheta tribui filio, non autem Patri æterno.

Calvinus ipse, qui textum hebræum fontem purissimum non semel appellat, ad hunc Isaiæ textum, sui parum memor, hæc adversus Judæos eloquitur: Nequeat, quòd oblatrent Judæi, et si lectionem invertant; hoc est nomen, quod vocabit eum Deus, fortis, Pater futuri sæculi; ac denuum hoc unum filio reliquum faciant, ut sit Princeps pacis: quorsum enim epitheta in Deum hoc loco congesta forent?

Concludendum ergo, Hebraicum fontem, quem nunc præ manibus habemus, non ita semper limpidum, et purum esse, ut non interdum turbidus fluat.

Profectò Ludovicus Capellus celebris præteriti sæculi Calvinista plusquam mille locis vitiatum esse textum hebraicum ostendit in suâ critiâ sacrâ.

Habent igitur Scripturæ Hebraïcæ suos errores, qui in textum irrepserunt partim oscitantiâ et insitiâ librariorum, præsertim, cùm in habræo facilè sit errare ob litterarum quarumdam similitudinem; partim negligentiâ, aut ignorantiâ, vel etiam malignitate Rabbinorum, qui puncta litteris hebraïcis addiderunt. Cùm enim dictiones hebraïcæ variis modis legi possint, si punctis careant; mirum non est, si aliquando ipsi quoque in punctorum notatione à verò aberraverint.

Potest etiam esse, ut ex pravò in Christum affectu, et odiò ea lectio inter-

dum ipsis magis probata fuerit, quæ minùs Christianis favebat.

Cæterùm, ut diximus, tanti momenti non sunt ejusmodi errores, ut in iis, quæ ad fidem morésque pertinent, Scripturæ Sacræ integritas desideretur; plerumque enim tota variarum lectionum discrepantia in dictionibus quibusdam posita est, quæ sensum vel parùm, vel nihil immutant. Errores autem, qui ex additione punctorum acciderunt, nihil omninò veritati officiunt: puncta enim hæc exteriùs sunt addita, nec textum ipsum variant. Itaque possumus, si velimus, ea detrahere, et aliter legere.

Quòd verò Græcos Novi Testamenti Codices attinet, nemo dubitat, quin editio Apostolica summæ sit auctoritatis: attamen in eam etiam aliquos errores saltem negligentiâ librariorum, aut eorum ignorantiâ interdum irrepsisse varia exempla demonstrant, quorum aliquo duntaxat refere placet.

1°. Corinth. c. 15. v. 47. nostra vetus latina legit: Primus homo de terrâ terrenus, Secundus homo de cœlô cœlestis, quam lectionem ipse Calvinus probat. At Græci Codices constanter habent: Secundus homo Dominus de cœlô. Quam depravationem ex corruptionibus Marcionis Librariorum vitiô manisse testatur Tertullianus.* (* lib. 5. cont. Marcion.

2°. Corinth. 7. v. 33. et 34. Nos legimus: Qui cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodò placeat uxori, et divisus est: et mulier innupta, et virgo cogitat, quæ Domini sunt, &c. At Græci Codices longè aliter habent; nam idem di-

visus est conjungunt cum sequentibus hoc modò: divisa est uxor et virgo, quam lectionem S. Hieronymus affirmat*, non esse Apostolicæ veritatis. 17.

m * lib. 1. cont. Jovinian.

3tio Rom. 12. v. 11. Nostra versio sic habet: Domino servientes, eámque esse verissimam testatur S. Hieronymus*; asseritque, in emendatis Græcis Codicibus haberi Domino, non verò Tempori, quod habent plerique Græci Codices. Ita etiam, prout nos legimus, explicarunt in suis Commentariis Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, et alii Patres Græci.

n * Epist. ad Marcell. quæ incipit: Post priorem.

8va Pag. 16

4to Denique, ut plura alia omittamus, constat, in plurimis Græcis Codicibus deesse multas veræ Scripturæ partes, ut historiam adulteræ Joan. 8. Ultimum Caput Marci. Testimonium de SS. Trinitate Joan. 1. et alia, de quibus suis locis agemus.

Constat etiam, quædam in omnibus Græcis Codicibus inveniri, quæ non sunt partes divinæ Scripturæ; ut Matth. 6. Orationi Dominicæ additur: Quia tuum est regnum et potentia, et gloria in sæcula. Hæc verba non esse de textu sed à Græcis deinceps addita, vel ex eò intelligi potest, tum quòd Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus Orationem Dominicam exponentes nec vel minimam horum verborum faciant mentionem, cùm tamen Græca linguæ ignari non fuerint; tum quòd Græci in suâ Liturgiâ retinent quidem hæc verba, sed non continent cum oratione Dominicâ.

18.

Solvuntur Objectiones.

8. Ob. 1.º contra 1.mam Conclusionem: Communis et vera est paroemia, quòd Tempus omnia consumat. Atqui plurima, ab eô tempore, quo plerique Veteris Testamenti Libri, si qui unquam veri fuerunt, scripti dicuntur, effluêre annorum millia. Ergò et eos tam longum tempus consumpsisse dicendum est; adeoque ii, quos nunc habemus, sunt supposititii.

Resp. 1.º Rey. Maj. adduta enim paroemia non est vera universaliter, ut patet ex quamplurimis monumentis, quæ jam à pluribus annorum millibus adhuc porstant; neque probant tot libri, qui etiam ante aliquot annorum millia à certis suis auctoribus conscripti adhuc hac nostrâ ætate supersunt; atque de sæculô in sæculum continuâ Majorum nostrorum diligentiâ ad nos perlati fuerunt, quod negare nemo, qui ratione et judiciô utitur, audebit.

Resp. 2.º Dei, cujus existentiam nec ipsi Athei negare ~~haud~~ possunt, ut ostendimus in Metaphysicâ, et hô locô fusiùs adhuc ostendemus, providentiæ magnam inferri injuriam, si allata paroemia ad eos libros adaptetur, qui Divinam continent revelationem hominum salutiominò necessariam, et in quâ Religionis summa consistit, quasi verò ei curæ non fuisset hos libros tueri.

9 Ob. 2.do Pentateuchus, et Libri Prophetarum nominibus insigniti in Captivitate Babylonicâ unâcum Templô et Urbe Jerosolymitanâ incendiô periêre, prout libri illi, quos tanquam Divinâ revelatione conscriptos penes nos retinemus, ipsimet

faciunt fidem. Ergo hi ipsi nequeunt esse 19.
libri illi, quos à Moyse et Prophetis Scriptos
tuemur; adeoque sunt recentioris ævi
et supposititia Scriptura.

Resp. Dist. Ant. Pentateuchi et libro-
rum à Prophetis Scriptorum exemplaria,
quæ tunc in Templo asservabantur, igne
consumpta fuerunt, conc. Alia eorum-
dem librorum exemplaria penes alios Pro-
phetas, et Legis Doctores asservata, neg. ant.

Certè Jeremias, Ezechiel, Daniel,
Tres Vateri, post Templi incendium et ever-
sionem, ac ipso Babylonica Captivitatis
tempore Sacros Codices adhuc legebant.
Nec postèa etiam Zorobabel, qui capti-
vos reduxit, et Altare juxta Legem Moy-
sis erexit, Legis ipsius Codice caruit. Es-
dras quoque finitâ hac captivitate, li-
brum Deuteronomii coram populô legit.
Ergo non omnia Sacrorum ~~lib~~ librorum
horum exemplaria in memoratô Tem-
pli incendiô interiisse dici possunt.

Urg. Celebres quidam Patres, ut
Clemens Alexandrinus, Irenæus, Tertulli-
anus, Theodoretus, omnium verò aper-
tissimè Basilius*, docent, Scripturam
Sacram universam periisse tempore Cap-
tivitatis Babylonicæ, quando scilicet ci-
vitas eversa, et Templum incensum fuit,
ac deinde ab Esdra rursum fuisse com-
positam ac reparatam. Ergo p.

Confirmatur ex libro 2. Esdræ c. 2.
ubi simile quid refertur.

Resp. 1°. ~~neg. conseq.~~ Etsi con-
cedatur, id memoratos Patres dixisse, ta-
men verum manet, Sacros illos Codices

Prima
C. Pag. 27.

* Epist. ad Chilon.

esse geminos et integros; ajunt enim Patres, illi, qui Sacram Scripturam in illo Templi incendiò periisse autumant, eandem ab Esdrâ Spiritu Sanctò dictante fuisse restauratam.

Resp. 2.do neg. cons. Hac opinio non alio nititur fundamentò, quàm testimoniò libri 4. Esdræ c. 14. At liber iste non modò apocryphus est, et ab Ecclesiâ Catholicâ nunquam receptus, sed etiam multis in locis redolet fabulas Judaïcas, et hoc ipso capite 14. non aliter loquitur de quibusdam libris occultis, et perfectioribus, quàm omnes Thalmudistæ faciant de suâ Cabalâ*. Unde multum est argumentum, quod ex eo deducunt S. Basilius, et fortè alii, ut potè ab eodem librò decepti.

(M) * Thalmudistæ dicuntur ii, qui Thalmudii sectatores sunt et expositores. Thalmud autem est liber explicationem seu expositionem Legis Judaïcæ, in se complectens, seu est Corpus totius Juris Sacri Judæorum. In duas partes distribuitur, quarum una Misna, altera Gemara nuncupatur. Misna secundam legem sonat, continetque traditiones Doctorum Judæorum. Gemara autem idem est ac complementum, quâ scilicet ultima manus Misnæ est imposita. Utraque absurdis fabulis abundat. Cabala à voce hebræâ Kabbalah quæ propriè Traditionem significat, specialiter ~~autem~~ apud Judæos sumitur pro occultâ summorum divinorum Lex Domini.

Ad confirm. neg. quòd simile quid memoretur lib. 2. Esd. c. 8. quin potiùs contrarium ex eo colligitur. Sic enim legimus v. 1. Dixerunt Esdræ Scribæ, ut adferret librum Legis Moysi ..... Attulit ergo Esdras &c. Non dixerunt, ut iterùm componeret librum Legis, sed ut afferret; quia sciebant illum adhuc inveniri. Unde, prout jam adnotavimus, etsi Scriptura, quæ publicè servabatur in Templo, fuerit igne consumpta, et perierit; tamen incredibile est, non fuisse etiam aliqua exemplaria, vel certè partes eorum apud privatos homines, et præcipuè apud Ezechielem, Danielem, Jeremiam, Aggæum, Zachariam, Mardochæum, et ipsum Esdram, qui tunc in vivis erant, et quibus sine dubiò cura fuit

Ob. 3tio cont. 2dam Conclusion. Idèò asseritur, Judaeos non depravasse libros Veteris Testamenti quoad partes substantiales, quia id fuit impossibile. Atqui revera fuit possibile. Ergo p. Ob. Min. Judaei ubique terarum dispersi astricti erant decretis Rabbinorum, qui primùm in Palestinâ, postèà Babylone judicabant de rebus ad Religionem pertinentibus. Atqui hi Rabbini in odium Ecclesiae Christianae facilè consentire potuerunt in Sacrorum Codicum depravationem. Ergo in omnes Judaeorum Synagogas irrepere potuit aliquia etiam substantialis Sacrorum librorum depravatio.

Resp. neg. min. Ratio est 1o quia moraliter est impossibile, ut Rabbini, qui ex toto orbe confluebant in Palaestinam et Babylonem, ut Synedrim agerent, consenserint nullo prorsus excepto, in corruptionem istam. 2o. Non in Judaeorum tantùm, sed et Christianorum manibus erant Codices Veteris Testamenti; ac proinde Christiani corruptionem illam Judeis exprobrassent, si eam vel tentare ausi fuissent. 3o. Detur Adversariis, Rabbinos absolutè loquendo, potuisse depravare Sacros Codices, certum tamen est, eos abipsis actu depravatos non fuisse; nam quamvis ineptas et nugatorias expositiones tradiderint, nihilominus Legis et Prophetarum verborum corticem, usque ad superstitionem servarunt.

Ob. 4to Multa erata irepserunt in Sacros tum Veteris, tum Novi Testa-

zi
~~ze~~ 10.
rum mysteriorum Scientiâ ac interpretatione "S. Scripturae" quae fit per significationes abstrusas et singulares, quae vel verbis alicui vel utilibet earum litterarum, quibus componitur, tribuuntur, undè, diversis earumdem combinationibus, ex S. Scripturâ eruuntur explicationes longè diversae abiis, quas re verâ et propriè significare videtur.

2da
Pag. 28.

~~26.~~ menti Codices, prout ipsimet advertimus. Ergo re ipsâ fuêre depravati.

Resp. Dist. ant. Inrepserunt errata, quæ non sunt contra fidem et mores, com. quæ sunt contra fidem et mores, neg. ant. Ea levioris momenti errata à Judæis malitiosè facta non fuerunt, cùm non sint ex iis capitibus, in quibus à Christianis dissentiunt, sed aut Scribarum inuriâ, aut casu aliquô fortuitô contigêre. Sed quidquid sit hac de re, et quamunque demum ratione hæc errata sacris libris inrepserint, sufficit, quòd fidem aut mores non tangant, ut S. Scripturæ integritas sua illibata servetur. vide ea, quæ supra diseruimus.

12 Ob. 5.tò Ipsimet Judæi fatentur, loca quædam aliter olim lecta fuisse, ac habent hodierni Codices, quibus in Synagogis suis utuntur. Ergo depravati fuerunt Judæorum Codices. Ob. ant. Consentiunt Rabbini, nonnulla mutata fuisse à Sapientibus, et inserta Codicibus hodiernis; quas mutationes vocant Scribarum correctiones. Ergo p.

Resp. 1.o cum Bellarminô, fictitiam esse illam Sacrorum Codicum correctionem, quam Judæi prædicant.

Resp. 2.do Correctionem illam, si quæ facta est, præstitam fuisse ab Esdrâ, ac posterioribus Prophetis, qui Sacros libros post captivitatem Babylonicam ~~ac~~ recognovêre, quique, collatis inter se antiquis Codicibus, ger-

manam restituerunt lectionem, quæ in hodiernis Codicibus reperitur; unde si aliter, ac nunc, in aliquibus Codicibus olim lectum fuit, erratum est, quod Esdras Propheta, et Judæorum Synagoga correxerunt:

Confirmatur Responsio. Omnia, quæ nunc extant, exemplaria Hebraïca legunt secundùm illas correctiones. Præterea omnes antiquæ Versiones, etiam illæ, quæ ante Christi adventum, exaratæ fuerunt, continent eas mutationes, in iisque cum Hebraïs Codicibus conveniunt, prout videre est in Versione Septuaginta Interpretum, et vulgatâ Latinâ.

Ob. 6.to Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, Irenæus lib. 3. c. 24. nonnullique alii Judæos accusarunt quòd Sacros libros depravarunt. Ergo non sunt integri Veteris Testamenti Codices, etiam quoad substantiam. 13.

Resp. 1.o Intelligi posse laudatos Patres de depravatione quoad aliquas lectiones: probabile nimirùm est, Judæos, ubi duplex erat lectio, quarum una magis favebat Christianis, eorum odio alteram suis Codicibus inseruisse; quæ quidem, cum ab eâ, quam in suâ græcâ versione Septuaginta sentiunt, discreparet, mirum non est, quòd Ecclesia Christiana, quæ eâ versione utebatur, Judæos arguerit, quòd Scripturas depravassent.

Resp. 2.do Patres, de quibus in

24
~~28~~. argumentò est Ermo, non loqui de ipsâ Synagogâ Judaeorum; eodem enim modò quoad substantialia se habent ejus Biblia, quò nostra; sed loqui de Theodotione, et Symmacho, qui, ubi à Christianismò ad Judaïsmum defecissent, versionibus suis Sacros Codices depravarunt.

13 Ob. 7mò Juxta dita, et concessa Sacra Scripturae potuerunt depravari, et revera depravata fuerunt in rebus levioris notae, et nec fidem, nec mores attinentibus. Ergo etiam rebus fidem ipsam et mores spectantibus. Non est enim major ratio habenda librariorum incuriae et ignorantiae in his rebus, quàm in illis, sed utrobique stat paritas.

Resp. neg. cons. et paritatem: Disparitas est 1.o, quòd providentiae divinae repugnet, ut permiserit in libris, quos voluit esse firmam fidei et morum regulam, aliquos substantiales, seu circa fidem et mores obrepere errores; sic enim seipsum hujusmodi errorum, ipsiusque infidelitatis autorem quodammodò constitueret. 2.o Hujusmodi errores, si qui sacris Libris aspersi fuissent, deteriissent tum Judaei, tum Christiani, neque eos passi fuissent p. vide ea quae hac de re supra discuimus.

3tia
pag. 19

Caput Tertium. 25. ~~29.~~

De autoritate S. Scripturæ. 14

Sat amplè, ni fallor, Capite præcedenti vidimus, Libros S. Scripturâ contentos, non esse supposititios, sed suum quemque designatum habére Autorem, necnon ad nostra usque tempora integros, et incorruptos fuisse conservatos. Modò, quænam sit eorundem autoritas, nobis demonstrandum venit. Sit ergo

Conclusio.

Scriptura Sacra sive Vetus sive Nova est autoritatis divinæ. ~~14~~

Prob. Concbus. 1.º Per Sacram Scripturam intelligimus Verbum Dei Scriptum, et ab ipso Sacris illius Scriptoribus inspiratum, et dictatum. Atqui hujusmodi Verbum Scriptum est divinæ auctoritatis. Ergo Sacra Scriptura sive Vetus sive Nova est divinæ auctoritatis. Minor est aperta. Major verò est ipsa Sacræ Scripturæ definitio Capitè 1.º hujus Tractatûs allata; ergò

Probatur: Necesse est existere veram Religionem, quæ debitum Deo cultum exhibeat. Atqui talis Religio nonnisi ab ipso Deô tanquam autore profluxi potest, qui Sanctis, et ad id à se delectis hominibus voluntatem suam, et modum, quo coli ab hominibus vellet, revelavit; quam divinam voluntatem et modum

ipsum colendi iidem in commentaria retulerunt, atque populis tradiderunt, adque conversi intelligerent, qua ratione mores suos ad verum Dei cultum componerent; quæ commentaria Sacram Scripturam vocamus. Ergo Sacra Scriptura est Verbum Dei Scriptum, et ab ipso Sacris Scriptoribus inspiratum et dictatum.

Major est omnium Nationum, etiam summè barbararum: nulla enim est, quæ supremum numen aliquod, à quo omnia pendent, non agnoscat, eique cultum aliquem non exhibeat, arbitretur que, se veram habere Religionem: ex quo idius necessitas comprobatur.

Prob. Min. 1°. Vera Religio proficisci debet à principiô certô et immutabili. Atqui tale principium est solus Deus. Ergo vera Religio nonnisi ab ipso proficisci potest.

Min. est aperta: omnia enim sunt mutationi, et vicissitudini obnoxia præter Deum, qui semper idem est, unde et de se ipso ait: Ego Deus, et non mutor; nullumque datur certum principium, quod ab ipso firmitatem suam non mutuatur.

Maj. prob. Vera Religio debet esse certa, et immutabilis. Ergo debet proficisci à principiô certô et immutabili. Ant. prob. Nisi certitudine, et immutabilitate firmata sit Religio, tunc ipsamet destruetur, et in chaos abibit, dum quilibet pro

suo arbitrio sibi cultum, quo Deum prosequatur, effingent; quin et ipsa humana Societas, qua potissimum Religionis et cultûs unitate continetur, pessum ibit. Ergo debet esse certa et immutabilis, adeoque à principio certo et immutabili, nempe à Deo proficisci. consequenter et ipsa S. Scriptura, qua verus Deum colendi modus continetur. 27. ff.

Confirmatur ex eo, quòd omnes Nationes, solo rationis suae dictamine, semper agnoverint Religionem Deum habere autorem, atque ab ipso hominibus fuisse inspiratam et traditam. Hinc factum, ut, qui novam colendi Deum formam et rationem variis populis variis temporibus obtruserunt, omninò caverint, ne commenta sua à se ipsis conficta dicerent, quin potiùs à supremo quodam Numine inspirati, et afflati se sua fundere oracula palam edixerunt. 2ta pag. 20.

Prob. Conclus. 2.a Libri meritò consentur habere divinam autoritatem, nec hominum commenta dici possunt, qui non modò cum summa puritate Scripta sunt, sed etiam incomparabilem doctrinae sublimitatem, et sanctitatem continent, et in quibus energia planè divina in hominum animis ad amorem Dei, et virtutum omnium praxim convertendis eluet, neinon Prophetiarum, quas continent, veritas eventu ipso 15

32. comprobata. Atqui hujusmodi sunt libri illi, quos Sacram Scripturam vocamus; prout sola horum librorum inspectio, et lectio demonstrat. Ergo habent divinam autoritatem, solúmque Deum Autorem, nec hominum commenta dici possunt.

16. Confirmatur. Si Libri, quos Sacram Scripturam vocamus, à suis Scriptoribus sunt conficti, tum demonstrari debet, cujusnam emolumenti spe hoc sua figmenta ipsi protulerint: enimverò nemo utique eâ conditione impostor esse volet, ut indè non modò nullum emolumentum capiat, sed praterea detrimentum aliquod patiatur. Atqui demonstrari non potest, cujusnam emolumenti spe hi sacri Scriptores libros hos à se conscriptos protulerint, quin potiùs contrarium manifestè ex his sacris ipsorum libris eruitur. Ergo non sunt conficti p.

Min. prob. ab inductione, 1°. Quidnam emolumenti sperare potuit Moyses, quando populo Israëlitico rudi admodum, et rustico legem consignavit adeò severam, ut vel levium quarumdam caremoniarum omissioni mortis poenam constituerat? An non potiùs, si è suô legem populo Israëlitico tradere in animum induxisset, eam effinxisset, quæ et mollior, et sensibus magis accommodata esset? quàm verò hebes populus ide, quòd legi tam dura

praecipienti, tam severè levia quoque pu- 33
nienti, et qua tamen nonnisi privati cu-
jusdam viri commentum esset, ultrò colla
submiserit! Neque etiam ausus fuisset
Moyses prodigia et miracula Pentateuchó
contenta, si falsa fuissent, palàm praedi-
care, atque in publica commentaria refer-
re; hae enim impostura ipsi, sive apud
gentiles suos, sive exteras Nationes proul
dubiò molè cessisset.

2°. Eadem est Prophetarum ratio,
quorum prophetiarum veritatem eventus
comprobarûnt; et qui sine ullius emo-
lumenti, aut temporalis commodi spe, imò
cùm propriarum rerum, tum vitae ipsius
dispendiò eos fuerunt: certè hae tam
accuratè non praenuntiassent, nisi inspi-
rante Deó, qui summè verax est, omnia-
que sive praeterita, sive praesentia, sive
futura complectitur, et ab aeternó novit,
libros suos exarassent.

3tio Idem quoque dicendum de
Novi Testamenti Codicibus, quos ab Apos-
tolis sibi consignatos Ecclesia ad nos detu-
lit, et quibus nonnisi purissima et pras-
tantissima morum vitaque rectè insti-
tuenda doctrina continetur, quae nihil
terreni admixtum habet, sed animum ab
omnibus creaturis abstractum ad sola coe-
lestia dirigit.

Cujus temporalis emolumenti, aut
commodi spe Christus ipse, et Apostoli
ea, quae ab ipsis conscripta tenemus, mun-
do annuntiarûnt? profectò nullo: quin
potiùs, cùm rudes essent, ignari, et pau-

pores, necnon omnium penè rerum inopiâ laborarent, non armis, non humanæ sapientiæ persuasibilibus verbis, sed veè stupendô, et humanæ menti prorsùs impervio modô non solùm innumeros de plebe homines, sed et Principes, Reges, et Imperatores omnes, imò totum terrarum orbem Evangelio subjecerunt, quamvis nihil contineret, quod vel in minimô sensus demulceret, idque cum propriarum rerum summô detrimentô, vitaque non modò discrimine, sed etiam jacturâ. prout hæc omnia, ut et frequentia prodigia, et miracula ab ipsis patrata in eorum libris legi possunt p.

Nta Pag. 21.

Solvuntur Objectiones.

17. Ob. 1.a Deus nullâ indiget Scripturâ, quâ suis loquatur creaturis, cùm sit semper, et ubique præsens. Ergo superflua penitùs est omnis Scriptura, ac proinde nulla à Deo provenit, cùm Deus nihil frustra faciat, aut superfluum operetur, vel scribat nihil.

Resp. neg. cons. Etsi Deus nullâ indigeat Scripturâ p, eâ tamen indigent homines, si non simpliciter et absolutè saltem secundum quid, ad vitandum erroris periculum, fideique servandam unitatem; nam si uniuscique Deus sua manifestaret placita sine Scripturâ, posset quilibet pro arbitriô, quodcunque vellet, credendum vel agendum proponere, sub fictô prætextu manifestationis sibi à Deô factæ, dum alter negaret, nec tamen haberet, unde

adversarium suum redargueret, corrigeret, vel erudiret. Habet autem, quo id praestare possit, cum divinam habet Scripturam, quae juxta Apostolum*, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. 31 q * 2. Timoth. c. 3. v. 16.

Ob. 2do Idud Apostoli dicentis*: Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti, non litterâ sed Spiritu; littera enim occidit, Spiritus autem vivificat. Ergo nulla datur Scriptura, sed solùm illud pro verbo Dei habendum, quod Spiritus Sanctus unicuique privatim in corde loquitur. r * 2. Cor. c. 3. v. 16. 18.

Resp. neg. cons. Juntâ SS: Patres Chrysostomum, Ambrosium, Augustinum, et Anselmum, nihil aliud per litteram quàm legem, et per Spiritum quàm gratiam intelligit Apostolus; ita ut adducti ex ipso textûs sensu sit, quòd Deus inter alia bona hoc etiam nobis tribuat, ut simus idonei Novi Testamenti Ministri, ad praedicandum scilicet Evangelium, fundandas Ecclesias, administranda Sacramenta; Ministri, inquam, non litterâ vobis solâ communicandâ, sed et Spiritum impertiendo; idest, non eô modô Ministri sumus, quo in lege Mosaicâ, ut scilicet nudam litteram Legis vobis proponamus, sed insuper etiam et Spiritum, videlicet gratiam, quae Spiritualis est, conferamus; siquidem Deus ad verba nostra copiosam vobis in-

fundit gratiam; Littera enim sola, si divina gratiæ præsidio destituatur, ut in Veteri Testamento, nocet potiùs, quàm prosit; occidit enim animam occasionaliter, difficilia continens præcepta plurima, nec gratiam ad ea debitè servanda necessariam tribuens: Spiritus autem solus, idest, gratia, quæ spiritualis est, vivificat eam, ei supernaturalem vitam conferens, quâ redditur potens ad præstanda quæque necessaria ad salutem consequendam opera.

19. Ob. 3tio In libris tum Veteris tum Novi testamenti multa continentur falsa, mendacia, et contradictiones. Ergo Deus non potest esse illorum autor, quippe, qui æterna veritas est; consequenter non sunt divinæ autoritatis.

Resp. neg. ant. Contrarium ostendemus parte 2da ubi de singulis S. Scripturæ libris agemus, eosque ab omni errore vindicabimus.

20. Caput Quartum.

De modò inspirationis divinæ Sacrarum Scripturarum.

Postquam capite procedenti divinam S. Scripturæ autoritatem sufficienter, ut arbitramur, stabilivimus, atque à Deò Scriptoribus sacris fuisse dictatam, et inspiratam probavimus, modò nobis disquirendum venit, qua ratione et quo modò fuerit ab ipso inspirata.

6.22

21. Hæc de quinque circumferuntur opiniones: quas prinsquam ordine

referamus, notandum volumus 1.° In Sacris 33.
Litteris tria accuratè esse discernenda,
Res scilicet, Verba, et Vocabulorum compositionem, seu Phrasim et Stylum.

Res verbis expressa, vel sunt dogmata quædam, vel præteritorum temporum historiæ, vel prædictiones futurorum, vel leges, quibus homines in officiô continentur, vel præcepta, quibus ad virtutem informantur.

Verba nihil aliud sunt, quàm ipsæ voces, quæ Sacros sensus exprimunt.

Vocabulorum denique compositio, seu Phrasis ac Stylus, est ordo verborum.

Notandum 2.° Eruditos quos- 21.
dam Theologos, ut periculum evitetur de verbis, et nominibus concertandi magis, quàm de re ipsâ, triplicem circa Sacrorum Scriptura ~~verborum~~ librorum Scriptores Dei actionem et operationem ~~distinguunt~~ distinguere: Revelationem nempe, Inspirationem, et Specialem assistentis Dei præsentiam.

Revelatio juxtà ipsos, est ignotæ antèa veritatis facta divinitùs manifestatio. v.g. Isaiæ Propheta* revelavit (5)
Deus, Principem nomine Cyrum fore aliquando populi sui liberatorem. *c. 45. v. 1.

Inspiratio verò ab ipsis dicitur mòtus quidam insolitus, et interior incitatio, quâ quis fertur et impellitur ad loquendum vel agendum sine detrimentô rationis, et libertatis. Nempe movet Deus, inquiunt, voluntatem, ut

quæ dictat, Scriptor verè ac fidèliter Scribat; et hæc motio dicitur <u>inuitatio</u> et <u>inspiratio</u>.

Denique <u>Specialis Dei assistentia</u> nihil aliud est, quàm auxilium peculiare, quo Spiritus Dei præsens Scriptorem, ne alicubi erret, sic adjuvat, ut non quidem suggerat, quæ dicat, sed invigilet, ne falsum quid dicat, non impellat ad singula Scribendum, sed inter Scribendum dirigat, ne quâ parte irrepat error. Ergò juxtà hos Theologos tria apud Sacros Scriptores plerumque solent intervenire, 1º revelatio, 2º inspiratio, seu inuitatio, 3º Specialis Dei assistentia.

Verùm licèt quidem ab inspiratione divinâ, generatim et absolutè loquendo, separari possit revelatio divina, in Sacris tamen Scriptoribus cum inspiratione divinâ semper conjuncta fuit aliqua Dei revelatio, quâ nempè Deus non solùm illorum voluntatem afficiebat, ut ipsos ad Scribendum determinaret, sed eorum etiam intellectum divinô quodam lumine ita illustrabat, ut quæcunque Scribenda forent, ipsis suggereret, sive dictando res eis anteà inognitas, sive in eorum mentem ex plurimis factis, aliisque rebus, quas aprimè noverant, idas præcipuè revocando, quas litteris mandari volebat divinus Spiritus, cùm id ipsis aliàs inognitum et incertum mansisset, atque in hujusmodi rebus deligendis facilè errare potuissent. Unde veritati consentaneum non vide-

tur, nec Ecclesiastico loquendi modo, distribuere Verbum Dei in Verbum Dei revelantis, et Verbum Dei inspirantis.

Specialem verò Dei assistentiam, seu auxilium peculiare, quo Spiritus Dei præsens Scriptorem, ne alicubi erret, adjuvat, p. alio nomine quidam vocant Inspirationem mediatam, ad distinctionem Inspirationis illius, quâ Deus Scriptori res antèà ipsi ignotas revelat, quæque apud ipsos eadem est cum revelatione, et quam inspirationem immediatam nuncupant. At et hæc distinctio nobis superflua videtur. Utri enim inspiratio immediata, seu revelatio Scriptoribus Sacris minimè necessaria fuerit, ut multarum rerum ad historiam e.g. spectantium, quæ aliundè sibi notissimæ erant, cognitionem acciperent, tamen necessaria fuit, tum ut ex plurimis factis, quæ sibi æquè notissima erant, ea potissimum tribenda eligerent, quorum fieri mentionem, aliis prætermissis, divinus Spiritus volebat, tum ut singula eorumdem factorum adjuncta in memoriam suam ita revocarent, ut ne in minimâ quidem circumstantiâ aliter describendâ, quàm res gesta fuerat, errarent. Ergo utrobique invenitur inspiratio immediata, seu revelatio; nec ab eâ differre videtur Specialis assistentia, seu auxilium Dei p. Unde et nos promiscuè, et velut unam eandémque rem eas esse sumendas arbitramur. His prænotatis modò ad ipsas opiniones transimus.

723

22. 36.

Prima est eorum, qui omnia et singula, vel minimas etiam voces et syllabas, ipsos etiam litterarum apices inspirantis ac moventis Deo tribuunt.

Secunda priori omninò repugnans est eorum, qui sentiunt, ~~[illegible]~~ nec verba, nec ipsas etiamnum sententias esse inspirationi divinæ adscribendas.

Tertia est eorum, qui res ipsas sacris litteris expressas partim afflanti Deo, ut sunt prophetiæ, et ea, quæ sunt doctrinalia, vel proximum aliquem, aut necessarium habent ad doctrinalia respectum: partim Scriptorum ingenio duntaxat, et diligentiæ tribuendas censent, ut sunt historiæ et facta, quorum testes ipsi fuerunt sacri Scriptores, vel aliundè certò scire potuerunt.

Quarta est eorum, qui existimant, testimonium Spiritûs Sancti scriptionem aliquam subsequens, seu potius ipsi superveniens, sufficere, ut liber aliquis humanâ industriâ scriptus sine ope Spiritûs Sancti non modò minimè afflantis, sed ne dirigentis quidem, inter libros divinos et canonicos nihilominus reputetur; Spiritu Sanctô scilicet postèa attestante nihil, quod verum non sit, in eo libô contineri.

Quinta denique res omnes atque sententias inspirationi divinæ ita religiosè adscribit, ut verba tamen ipsa, verborumque compositionem relinquat stylo, meditationi, diligentiæ, et ingenio sacri Scriptoris, qui quidem quoad res ipsas inspiratus, et sine detrimentô libertatis

à Deo actus et impulsus in sensu nusquam 37.
aberet, quoad verba verò verborumque ordinem et compositionem sibi permissus, plus minusve dignitatis, et elegantiæ habeat in eloutione. Quam sententiam velut veriorem et firmiorem amplectimur; et pro qua sit

Conclusio.

Quamvis Deus sententias et res, illarúmque sensum in Sacris Libris expressum Sacris Scriptoribus inspiraverit, tamen verba ipsa, quibus res illæ, earúmque sensus expressi fuerunt, verborumque compositionem, et stylum, meditationi, diligentiæ et ingenio eorumdem Sacrorum Scriptorum reliquit. 23.

Prob. Conclusio quoad 1mam partem,
1.° Ex S. Scriptura, ~~[illegible]~~

~~[illegible]~~

~~[illegible]~~

Matth. 22. v. 43. Quomodò ergo David, ait Christus, in Spiritu vocat eum Dominum?

Luca 1. v. 70. Sicut locutus est, inquit Zacharias, per os Sanctorum qui à sæculò sunt Prophetarum ejus. ~~[illegible]~~

Act. 3. v. 18. Oportet, inquit S. Petrus, impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David de Juda. Et c. 3. v. 18. Deus autem, quæ prænuntiavit per os omnium Prophetarum pati Christum Suum, sic implevit. v. 21. Quæ locutus est Deus per os Sanctorum Suorum à Sæculo Prophetarum.

2da Timoth. c. 3. v. 16. Omnis Scriptura, inquit Apostolus, divinitùs inspirata utilis est ad docendum &c. Et Heb. 1. v. 1. Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis

1. Petri c. 1. v. 10. De qua Salute inquit, exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futurâ in vobis gratiâ prophetaverunt, scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi, prænuntians eas, quæ in Christo sunt, passiones, et posteriores glorias. Et 2. Pet. c. 1. v. 20. Omnis Prophetia Scriptura propriâ interpretatione non fit. Non enim voluntate humanâ allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.

8. 24

Nota hic S. Petrum non de iis solummodò Sacris Scriptoribus loqui, qui futura prædixerunt, sed et illos intellexisse, qui præterita justa et præsentia enarrarunt: ad Judæos enim scribebat, apud quos, teste Josepho*, Pro-

Ct.

* Lib. 1. cont. Appion. n. 29.

phetarum nomine veniebant omnes illi, ~~qui~~ qui à Deo afflati sive futura prænuntiabant, sive præterita recensebant, sive præsentia enarrabant. Sciendum est igitur, inquit Theodoretus*, Prophetæ proprium esse, non solùm futura prædicere, verùm etiam et præsentia, et præterita enarrare.

* Præfat. in Psalm.

Ex his S. Scriptura testibus manifestè concludimus, quòd universa Veteris Testamenti Scriptura, non modò Prophetica, sed etiam Historica, Moralis, et Legalis sit divinitùs inspirata.

Quodetiam et à potiori jure volumus intelligi de Novi Testamenti libris. Enimverò Apostolis et Evangelistis non minùs gratia, et auxilii præstitum est à Deo in exarandis his Novi Testamenti libris, quàm in Veteri lege Prophetis, aliisque Sacris Scriptoribus concessum fuit; siquidem Christus Discipulis suis dixerat*: Nolite præcogitare, quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illâ horâ, id loquimini; non enim vos estis loquentes, sed Spiritus Sanctus.

* Marc. 13. v. 11.

Et apud Joannem*, Spiritus Paracletus, inquit, quem mittam vobis à Patre, ille docebit vos omnem veritatem. Atqui non utique solummodò Spiritus Paracletus illos, quoad ea, quæ loquturi essent, edocturus erat, sed etiam quoad ea, quæ Scripturi essent; nam multò minùs potuit deesse illis ea Scribentibus, quæ futura erant fundamentum Christianæ Religionis, necnon actionum, et doctrinæ Christi perenne monumentum.

* c. 15. v. 26. et c. 16. v. 13.

~~40.~~ 24. Lib. 2.do Ex traditione tum Judaeorum, tum Catholicorum Ecclesia. Judaei siquidem Moysen ut Prophetam, et, prout ait Philo*, Sicut Dei intus oracula dictantis Interpretem semper venerati sunt. Ceteros quoque post Moysen Sacros Scriptores à Deo fuisse afflatos ita apud ipsos certum erat, ut in Canonem Scripturarum Sacrarum multos libros referent, nisi quos constanti traditione novissent à Prophetis esse Scriptos, ut auctor est Josephus*.

(z) * Lib. De praemi. et poenis.

(a) * lib. i. cont. Appion.

Ecclesia verò Catholica semper Sacras Scripturas ut divinas, et afflante Spiritu Sanctô exaratas summâ religione coluit, cujus rei perfectô inter se consentientes testes sunt SS. Patres.

Seculô 1.o

Clemens Romanus, Diligenter, inquit*, inspicite Scripturas, Spiritûs Sancti vera oracula.

(b) * Ep. i. ad Corinth.

Seculô 2.do

S. Ignatius Martyr ait*, Divinissimos Prophetas juxta Christum vixisse, et gratiâ ipsius fuisse inspiratos.

c * Epist ad Magnes.

S. Justinus Martyr, cum Prophetarum verba, inquit*, tanquam à personâ aliquâ dicta esse auditis, ne ab ipsis, quos Spiritus afflavit, dici existimetis, sed à Verbo, quod illos imitat, divinô.

d * Apolog. 2.

~~Athenagoras Christianis hoc objicit*: Prophetarum quae, quicunque, quasque cogitationes posita, divini Spiritûs numine quae ipse illis efficiebat, eloquebantur.~~

e * ~~Apolog. pro Christianis~~ Justin.

~~S. Theophilus Antiochenus, Deiferos viros, inquit, plenos spiritu sancto, et Dei inspirati, instructique, prophetarum sancta sunt, proindeque fide à Deo dictâ, sancti, justique quæ propter habitum sunt, et esse organa Dei à quo auspicantur, sapientiam vaticinatione de creatione mundi, et de aliis omnibus.~~ 41 40.

Sæculo 3tio

~~S. Spiritus, et Matyas Scriptura Scriptura, Prophetæ intelligentia, quicquid scripsit libri, quæ ipsi legenter adorarent? Deum dicunt:~~ * ~~Quod Prophetarum~~

~~Quatuor Evangelia Dominicorum Immutabiliter Spiritus Sancti, et Prophetarum, et Apostolorum divinitus inspirata Scripturam.~~

S. Irenæus, Scriptura perfecta sunt, inquit*, quippe à Verbo Dei, et Spiritu ejus dictata. * lib. 2. adv. hæres. c. 47.

Tertullianus, Legimus, inquit*, omnem Scripturam ædificationi habilem divinitus inspirari. * lib. de hab. mul. c. 3.

~~Clemens Alexandrinus, Ingenia Sanctum habentia divinitus Scripturam, Scripturæ à Deo inspiratæ.~~ * ~~Divinitus adjuvante.~~

Origenes, In Ecclesiastica prædicatione id esse definitum, asserit*, quod per Spiritum Dei Scripturæ conscriptæ sint, et quod iste Spiritus Sanctus unumquemque Sanctorum, vel Prophetarum, vel Apostolorum inspiraverit, et non alius Spiritus in Veteribus, alius verò in his, qui in adventu Christi inspirati sunt fuerit. * Proöm. lib. de princip. et lib. 1. c. 3. Item lib. 4. c. 1. et 2.

~~S. Hymnianus Scripturam appellat divinam, cum ait divinitus flantem.~~

S. Gregorius Neocæsariensis Episcopus, Thesaurum, inquit*, nobis à Deo inspirata Scriptura Paracletus explicat &c.

* Serm. 2. in Annunt. B. V. M.

Sæculô 4 tô.

Eusebius Cæsariensis: Moyses, inquit*, et reliqui Prophetæ ..... omnes uno ore divinô afflati Spiritu, tum hominibus lumen veræ pietatis aperiebant.

* lib. 9. Demonst. Evang. in proëm.

~~.... S. Hilarius ait, inquit*, in natalibus ... quæ ... divinitus inspirata ... ut ... divinam ... mirabilis ... perfectum ... tuam.~~

* ~~Hilar. Psalm. 2.~~

S. Athanasius, Libri, inquit*, Deô afflante Scripti hæc passim varius in locis docent. Et Epist. ad Marcellin.*: Omnis nostra fili Scriptura cum vetus tum nova, divinitus inspirata utilisque ad doctrinam est.

* Orat. de Incarn. Verb. Div. c. 33.

* In Interpret. Psalm.

S. Basilius, Scriptura omnis, ait*, divinitus inspirata et utilis hac unâ ratione à Spiritu Sanctô conscripta adstruitur &c.

* Proëm. in Psalm.

S. Cyrillus Hierosolymitanus Divinitùs asserit*, Spiritum Sanctum Divinas Scripturas profatum esse.

* Catches. 4. de S. Scrip.

S. Gregorius Nazianzenus ait*, Non licere eis, quæ ab hominibus divinô Numine afflatis dicta sunt, fidem abrogare.

* Orat. 3. adv. Julian.

S. Macarius Ægyptius, Rex Deus, inquit*, misit hominibus Scripturas Divinas velut Epistolas &c.

* Hom. 39.

S. Gregorius Nyssenus, Quæcunque, inquit*, Sacra Scriptura dixit, Spiritûs Sancti sunt voces, sive effata..... Ergo Numine afflati Sancti Vates virtute Spiritûs Sancti inspirantur, et ideò omnis Scriptura divinitus inspirata dicitur. 43. * Orat. 6. contra Eunom.

S. Ambrosius, Scripserunt, inquit de Sacris Scriptoribus, quæ Spiritus Sanctus ijs loqui dabat. * Epist 8. ad Just.

Sæculo quintô.

~~S. Epiphanius, Prædicit, inquit* Prophetia prædicit, non Spiritû Sanctû..... [illegible] dicunt, indeque [illegible] non Spiritu Sancto [illegible] ipso Spiritu repletus erat.~~ * [illegible].

S. Joannes Chrysostomus, Nihil hîc, inquit*, Scriptum est, quòd non multas sensuum habeat divitias, quandoquidem divino Spiritu afflati Prophetæ loculi sunt; ideò uti à Spiritu Sancto Scriptæ ingentem in se continent thesaurum.

S. Hieronymus Prœmio in Epistolam S. Pauli ad Philemonem tuetur hanc, ut cæteros Divinæ Scripturæ libros à Deo esse inspiratam, quamvis levioris momenti res contineat. Et Epist. ad Marcellam testatur, se non adeò hebetis fuisse cordis, et tam crassæ rusticitatis, ut aliquid de Dominicis verbis aut corrigendum putaverit, aut non divinitùs inspiratum.

S. Augustinus, Mediator, inquit*, Dei et hominum homo Jesus Christus.... * Lib. ii. de Civ. c. 2. et 3.

prius per Prophetas, deinde per se ipsum, postea per Apostolos, quantum ipse judicavit, loquutus, etiam Scripturam condidit, quæ Canonica nominatur &c.

* [illegible]

[illegible]

* Orat. 14.

S. Basilius Seleucensis asserit, quod Scriptura Sacra à Deo inspirata divinarum rerum cognitionis pandat officinas, &c.

* Lib. 3. in Isai.

S. Cyrillus Alexandrinus, obsignata est, inquit, quodammodò à Deo, quasi liber unus, divinitùs afflata Scriptura, et ab uno Spiritu Sanctò prodita.

* [illegible]

[illegible]

2.26

Sæculò Sextò.

* Præfat. in Psalter. c. 15.

Cassiodorus asserit, Divinas Scripturas nonnisi à viris divinò Spiritu repletis tradi potuisse.

Sæculò Septimò

* Præfat. in Exposit. lib. Job.

S. Gregorius Magnus hæc eloquitur: Sed quis hæc scripserit, valdè supervacuè quæritur, cùm tamen Auctor libri Spiritus Sanctus fidelitèr credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit: ipse scripsit, qui et illius operis inspirator extitit.

* Epist. lib. 4. Ep. 40.

Et iterum dissertis verbis asserit, Scripturam Sacram esse Epistolam quamdam omnipotentis Dei ad creaturam suam.

S. Maximus Abbas ait*, Nihil in Scripturâ importunè frustrave à Spiritu Sancto Scriptum esse, etsi nos non possimus capere. 45. *In Script. q. 55.

Seculô octavô.

Venerabilis Beda ait*, Scripturam Sacram esse Dei chyrographum. *In c. 10. Epist. ad Heb.

S. Joannes Damascenus*, Per Spiritum Sanctum Lex, et Propheta, et Evangelista, et Apostoli, et Pastores, et Doctores verba fecerunt; ex quo fit, ut tota divinitùs inspirata Scriptura proeul dubiô utilis sit. *lib. 4. de fide orthod. c. 18.

Seculô nonô.

Alcuinus*, Divinos appellat omnes libros Prophetticos, Evangelicos, et Apostolicos. Item*, Deum, cùm Scripturas legimus, loqui nobiscum, et divinis eloquiis interiorem hominem posci, et mutris. *lib. de Psal. usu. *lib. de Virt. et vitiis.

Seculô Decimô.

Leo Sophus Imperator Constantinopolitanus: Omnis Propheta, inquit*, locutus est per revelationem Dei. *Epist. ad Omar. Reg. Saracen. quae habetur Tom. 7. Biblioth. SS. Patrum.

Seculô undecimô.

Theophilactus fusè probat*, quomodo Apostolus rectè dixerit, quòd omnis Scriptura sit divinitùs inspirata. *In Epist. 2. ad Timoth. c. 3. v. 16.

Seculô duodecimô.

S. Anselmus, Nihil, inquit*, utiliter ad Salutem Spiritualem praedicamus, quod Sacra Scriptura Spiritûs Sancti miraculô fecundata non protulerit, aut intra se non contineat. *Tract. de concord. grat. et lib. arbit.

Seculô decimotertiô.

S. Thomas Aquinas asserit*, Auctorem Sacra Scriptura esse Spiritum *Quodlib. 7. art. 14. ad 5.

46 ~~50~~. Sanctum, qui in uno verbo intellexit multò plura, quàm per Expositores Sacræ Scripturæ exponantur, vel discernantur.

Ex his Sexentisque aliis testimoniis ergo patet, constantem, et perpetuam tum Synagogæ, tum Ecclesiæ traditionem fuisse, et adhuc etiamnum esse, Sacram Scripturam saltem secundùm sententias et res, illarúmque sensum in illâ expressum Sacris Scriptoribus à Deô fuisse inspiratam.

25 Ob. 3tio Ratione Theologicâ. Nisi speciali Spiritûs Sancti assistentiâ et inspiratione singula in Sacris Scripturæ libris fuisse conscripta dicantur, tunc certa et indubitata non videbitur illorum auctoritas. Atqui certa, et indubitata est illorum auctoritas, ut potè divina, prout Cap. præcedenti fusè demonstravimus. Ergo speciali Spiritûs Sancti assistentiâ, et inspiratione singula in Sacris Scripturæ libris fuisse conscripta dici debent.

3. 27

Ob. Maj. Nisi speciali Spiritûs Sancti assistentiâ, et inspiratione singula in Sacris Scripturæ libris fuisse conscripta dicantur, tunc in illis quædam continebuntur, de quorum auctoritate meritò dubitari possit; utpotè non divinô, et infallibili, sed humanô duntaxat cogitata et dictata Spiritu, qui utique errori obnoxius est. Ergo certa, et indubitata non videbitur istorum auctoritas.

Subsum. Si istorum, tunc etiam et aliorum, quæ totâ Sacrâ Scripturâ continentur, non videbitur indubitata auctoritas.

Ob. Subs. Non est major ratio, ut de unius sententiæ vel Capitis Sacrâ Scripturâ contentî auctoritate dubitetur,

quàm de cæteris omnibus; adeò ut si quid 47.
minimum sit in Scripturâ sacrâ, de quo du-
bitari possit, num à Spiritu Sanctô dicta-
tum, et inspiratum fuerit, nullum etiam
profectò caput in eâ sit, de quo idem du-
bium esse non possit; istóque absurdô
semel admissô, tota Scripturarum vacil-
labit autoritas, idéoque, et fides nostra.
inquit S. Augustinus*(a). Ergo p.

* lib. 1. de Doct. Christ. c. 27.

Prob. 2da pars Conclusionis 1a ex 26.
sacrâ Scripturâ. Scriptores sacri res eas-
dem interdum ingenti verborum ac styli
discrepantiâ enuntiant. Sic Moyses
Decalogum describit Exod. 20. et Deuter.
5. at diversis verbis, et ordine aliquate-
nus inversô. Eventura annuntiaverunt
Prophetæ, e.g. Isaias, Amos, et Jeremias;
at dilertiùs Isaias, utpotè vir nobilis, et
urbanæ eloquentiæ; rudis verò et inconcin-
nus Amos; simplex et rustius, ut ait
S. Hieronymus, Jeremias. Cap. ult.
auctor libri 2. Machab. v. 39. veniam eti-
am rogat, si minùs exactè ac dignè scrip-
serit. Sicut enim, inquit, vinum bibere,
aut semper aquam, contrarium est, alter-
nis autem uti delectabile, ita legentibus,
si semper exactus sit sermo, non erit gra-
tus. Et c. 2. v. 29. declarat, quantùm
difficultatis habuerit, in colligendô et or-
dinandô sermone, necnon servandâ bre-
vitatis dictione. Sic quoque Lu-
cas, et Joannes e.g. idem sirpsérè Evan-
gelium, at elegantiùs et nitidiùs Lucas.

Testibus etiam Origene, Dionysiô
Alexandrinô, Arnobiô, Basiliô, Greyo-
riô Nazianzenô, Hieronymô, aliisque

~~27.~~ quamplurimis Patribus, in Sacris Scripturis humilis plerumque phrasis, sermo inconcinnus, imò interdum barbarismi, et solecismi occurrunt, qui Apostolis ~~ut potè indocti~~ ~~et~~ sermonis imperitis excuderunt. Atqui nec verborum in eâdem re scribendâ, nec stylli elegantia, aut ruditas; nec rerum gestarum minùs exacta, aut digna narratio; nec difficultas in colligendô, et ordinandô sermone, scitandâque brevitatis dictione; nec denique barbarismi, sermonisque vitia, p. divinæ inspirationi adscribi possunt. Ergo concludendum, Sacros Scriptores, et si quoad sententias, résque, et ipsarum sensum, seu verba ipsa formaliter sumpta, prout Schola loquitur, à Deô inspirati fuerint; interdum tamen, quoad ipsa verba materialiter sumpta, verborúmque compositionem ipsam, ~~hardectamen~~ ~~et~~ stylum sibi ipsis fuisse relictos.

27. Prob. 2.do ex SS. Patribus. 1.o Origenes de auctoritate Epistolæ ad Hebræos disputans*, sententias ipsas S. Paulo quidem tribuit, at verba, stylúmque alterius censet esse Auctoris, qui elegantius scripsit, quàm Paulus.

* Apud Euseb. lib. 6. Hist. Eccles. c. 25.

2.o S. Gregorius Nazianzenus, et S. Basilius proferunt Evangelii Solecismos*.

m * Philocal. c. 4.

4. 28

(3.o S. Dionysius Alexandrinus hæc de Apocalypsi loquitur*: Dictionem ejus non admodùm græcam adverto, sed Barbarismis, et interdum Solecismis inquinatam.

n * Apud Euseb. lib. 7. Hist. c. 25.

o * lib. 1. adv. gent.

4.o Arnobius*, trivialem ac sordidum esse Apostolorum sermonem fatetur.

5.° S. Hieronymus asserit*, S. Paulum Græca lingua imperitum vix potuisse, quid ipse sentiret, clarè eloqui. Profundos enim, inquit, et reconditos sensus linguâ non explicat, et cùm ipse sentiat, quid loquatur, in alienas aures purè non potest transferre sermone ..... Se ipsum interpretari cupiens involvitur. Et alibi*, velut indubitatum ponit, Soleuismos in Apostoli Epistolis reperiri. Epistolâ quoque ad Pamachium*, Tu, inquit, Sydabas aucupentur, tu quære sententias. Deinde ait, Matthæo curæ fuisse, non verba et Sydabas aucupari, sed dogmatum ponere sententias. Ex quibus universis, inquit, perspicuum est, Apostolos, et Evangelistas interpretatione veterum Scripturarum sensum quæsisse, non verba, nec magnopere de ordine, sermonibusque curasse, dum intellectui res pateret ... Denuum hisce Epistolam suam finit, Obtrectatores mei quærant, et intelligant, non verba in Scripturis considerandæ, sed sensus.

* Epist ad Algasiam q. 10.

* In Epist. ad Ephes. c. 3.

* De opt. gen. interp.

6.° S. Augustinus asserit*, Ad doctrinam fidelem maximè pertinere, non tam verborum, quàm rerum quærendam, et ampleitandam esse veritatem, quando eos, qui non eâdem loutione utuntur cum rebus, sententiisque non discrepant, in eâdem veritate constitisse approbamus ..... * Ita enim salubriter discimus, nihil aliud esse quærendum, quàm quid velit ipse, qui loquitur. Et c. 28 p. Væ, inquit, miseri aucupes verum, qui apicibus quodammodò litterarum putent ligandam esse veritatem, cùm utique

* Lib. 2. de consid. Evang. c. 12. n. 28.

* n. 29.

* n. 67. et c. 46. n. 97. item c. 86. n. 128.

50.
~~29.~~ non in verbis tantùm, sed etiam in cæteris omnibus signis animorum non sit nisi ipse animus inquirendus.

7mo Agobardus Lugdunensis Episcopus, Apparet etiam, inquit, in his verbis vestris, quòd ita sentiatis de Prophetis, et Apostolis, ut non solùm sensum prædicationis, et modos, vel argumenta dictionum Spiritus Sanctus eis inspiraverit, sed etiam ipsa corporalia verba extrinsecùs in ora illorum ipse formaverit. Quòd si ita sentitis, quanta absurditas sequetur, quis dinumerare poterit.? Multis deinde argumentis, et præcipuè Styli diversitate probat, Scriptores Sacros à Spiritu Sanctô dictante non accepisse singula Scripturæ verba.

* Lib. cont. Fregedis. tom. 14. Biblioth. Patrum.

28 Prob. 3.tio Ratione Theologicâ. Ut Sacræ Scripturæ sint Verbum Dei, duo duntaxat requiruntur: 1.o ut sint infallibiliter veræ; 2.o ut sint Divinæ. Atqui ad utrumque sola rerum ac sententiarum divina inspiratio sufficit. Ergo verba ipsa, quibus res illæ, earumque sensus ~~expressus~~ in idis expressi fuerunt, nec non verborum compositio et Stylus ad hoc minimè requiruntur, sed ea omnia Deus meditationi, diligentiæ, et ingenio Sacrorum Scriptorum reliquit.

Maj. patet. Min. prob. quoad 1.mam Veritas rei maximè pendet à conformitate sensûs expressi cum ideis rerum exprimendarum; veritas quippe rei non est alligata materialibus Syllabis, aut sonis, seu litterarum apicibus, ut ait S. Augustinus supra laudatus; parimque interest ad ipsam rei veritatem, quibus vocibus, aut sonis exprimatur, dummodò sensus sit omninò conformis objecto. Ergo ad hoc,

ut Sacra Scriptura sint infallibiliter vera, ~~et~~ 51 S. 29
sola rerum ac sententiarum, quæ variis verborum sonis pro cujusque ingeniô et diligentiâ à Sacris Scriptoribus exprimi possint, divina sufficit inspiratio.

Prob. etiam quoad 2dum Ut Scriptura Sacra sit divina, adeoque divinam autoritatem obtineat, non requiri videtur singularum vocum, et syllabarum inspiratio, nam eadem est Evangelii autoritas, sive e.g. Matthæus hebraïcè; sive græcè Marcus; sive elegantiùs Lucas; sive paulò durius Joannes Sacros sensus expressérint. Præterea, eadem est semper Scripturarum autoritas; in quamcunque demum linguam transferantur, modò, vocabulis in aliud idioma conversis, idem sensus fidelitèr, et accuratè retineatur. Denique, quæ leguntur in Ecclesiâ Versiones, præsertim Vulgata, divinam utique habent autoritatem; at sanè non propter voces ipsas, quæ procul dubiô pius Interpretibus non fuerunt inspiratæ, sed propter res ipsas, seu sensus, qui ab iisdem Interpretibus accuratè redditi fuerunt. Ergo ut Scripturæ Sacræ sint divinæ, autoritatemque sortiantur divinam, sufficit sola rerum ac sententiarum inspiratio.

~~Confirmatur. Veritas sacra dicitur [illegible] sive Græca sive Latina, [illegible] divina autoritate. Atqui [illegible] Scripturæ inspiratæ [illegible]~~

52.
26. ~~[illegible]~~

Solvuntur Objectiones
Contra primam partem Conclusionis.

30. Ob. 1.° Apostoli non tanquam Prophetæ, sed tanquam Doctores scripserunt; Ergo ipsis necessaria non fuit inspiratio.

Resp. neg. cons. Licet enim daremus, Apostolos non tanquam Prophetas, sed tanquam Doctores duntaxat scripsisse, hæc tamen Prophetarum, et Apostolorum distinctio non obest inspirationi divinæ, quam Apostolis necessariam fuisse tuemur. Equidem non indiguerunt immediatâ revelatione ad ea scribenda, quæ aliunde certò noverant; indigebant tamen tali revelatione et Spiritûs Sancti assistentiâ, ut excitarentur, atque inducerentur ad seligenda ea, quæ ipsis scribenda erant, et ne in iis adnotandis errarent.

31 Ob. 2.do Scriptores sacri historici ad ea, quæ scripserunt, non indiguerunt divinâ inspiratione. Ad quid enim inspiratio pro iis rebus chartæ consignandis, quas ipsimet viderant, vel certò ex aliis omni fide dignis audierant? Ergo &.

Resp. neg. ant. et ejus causalem, ex ratione in priori responsione adductâ. Enimverò indiguerunt speciali Spiritûs Sancti assistentiâ et directione, 1.° ut manum scriptioni admoverent. 2.° ~~ut~~ quantùm ad delectum eorum, quæ jam sci-

cbant: non enim ab ipsis omnia, quæ memoriæ occurrerunt, scripto mandata fuerunt, sed solummodò ea, quæ ad finem sibi propositum faciebant. 3°. Ne circa ea, quæ scribebant, vel quoad minimam circumstantiam aliquam memoriâ laberentur, proditum quippe memoriâ est, Historicos Scriptoresquosunque, etiamnum diligentissimos, nec ulli parcentes labori, etiamsi res suâ ætate gestas scripserunt, à verò nonnunquam defleruisse. 53.

Ob. 3tio Evangelistæ à sibi contemporaneis fidelibus suntarat fuerunt excitati ad scribenda Evangelia. Ergo non à Spiritu Sancto. Ob. ant. De S. Marco hæc scribit Hieronymus*: Marcus juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus breve scripsit Evangelium. Idipsum de eo asserit Eusebius*: ~~De verò Matthæo Evangelista Hebræis, cum Petrus et Paulus Romæ evangelizarent et fundarent ecclesiam, ad gentes prædicavit.~~ De S. Joanne verò ait laudatus Hieronymus*: Quod novissimus omnium scripserit Evangelium rogatus ab Asiæ Episcopis. De cæteris porò Scriptoribus sacris similem conscribendi causam, vel occasionem conjicere nihil vetat. 32.

* In catalog. Script. Eccl.

* lib. 2. hist. Eccl. c. 14. ~~vel de libris sacris~~.

*a cit. loc. in Joanne

Resp. trans. ant. neg. cons. Causæ enim illæ seu occasiones, quibus Evangelistæ ad Evangelia sua conscribenda induti fuisse dicuntur, minimè excludunt specialem Spiritus Sancti impulsum, qui in cordibus Christianorum exsitabat, et formabat pia illa desideria, quorum occasione et ipse quoque interius afflabat

Cta pag. 30.

34. ~~32.~~ Evangelistas, ut, victi tot Sanctorum fidelium precibus, Evangelia sua ipso inspiante texerent. Joannes omnium postremus, inquit S. Clemens Alexandrinus*, cùm videret in aliorum Evangeliis ea, quæ ad corpus Christi pertinent, tradita esse, ipse, divinò Spiritu afflatus, spirituale Evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit. Ubi patet, familiarium preces non obfuisse divino afflatui. Idémque de cæteris Scriptoribus, qui petentium desideriis morem gesturi suos libros scripsisse memorantur, dicendum.

* apud Euseb. Hist. lib. 6. c. 14.

33. Ob. 4.to Christus Apostolis non præcepit scribere, prout præcepit Prophetis. Ergo et illis ea, quæ scripserunt, non inspiravit.

Resp. neg. cons. Christus enim mandavit Apostolis prædicare Evangelium universæ terræ. Atqui Evangelia non sunt nisi compendia suarum prædicationum, quæ proinde, ex rationibus passim jam memoratis, æquè Spiritus Sanctus Apostolis inspiravit, ac ea, quæ prædicaverunt.

34. Ob. 5.to Prophetæ non tantùm in suis Prophetiis, sed etiam in suis, quas scripserunt, epistolis palam edicunt, Deum per illorum os loqui, ut cæteris pluribus omissis, patet ex Epistolâ Eliæ Prophetæ ad Regem Joram his verbis inquientem*: Hæc dicit Dominus Deus David Patris tui. At in Epistolis Apostolorum nihil simile legitur, sed è contrà plerumque ex propriâ sententiâ loqui videntur, ut cùm Paulus dicit*: Beatior autem erit, si sic permanserit, secundùm

* lib. 2. Paralip. c. 21. v. 12.

* 1. cor. 7. v. 40.

nemm consilium. Ergo saltem Apostoli 55
in conscribendis his libris non videntur à 34.
Deo fuisse inspirati.

Resp. neg. cons. Sanctis Apostolis necesse haud fuit, ubique edicere, quòd Deus per os eorum loquatur; satis enim eis erat palam facere, se à Deo missos esse ad praedicandum Evangelium; atque Christum ipsum eis dixisse*, Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Imò idipsum testantur ipsi Apostoli in Epistolâ, de qua fit mentio in illorum Actis, quam hisce ordiuntur: Visum est Spiritui Sancto, et nobis. Cæterum adductò S. Pauli loco ipsemet palam edisserit, se non sine inspiratione loqui, ait enim, Puto autem, quòd et ego Spiritum Dei habeam.

* Matth. 10. v. 20.

† Act. 15. v. 28.

Ob. 6to Si S. Lucas divinò Spiritu 35
afflatus sua scripsisset, ab illo potiùs, more Prophetarum, sibi sumpsisset auctoritatem, quàm à testibus, quorum fidem secutus est, p. Atqui S. Lucas primum omisit, alterum verò citatus est. Ergo p.

Resp. neg. seq. Maj. Ratio patet ex jam dictis. Quamvis enim ad ea, quæ ex viris omninò fide dignis acceperant, utcunque conscribenda divinâ non egerint inspiratione, tamen eadem ipsis necessaria fuit, ut ea, quæ ab ipsis scribenda forent, seligerent, et ne in scribendo errarent, falsumque pro verò, prout passim alius scriptoribus accidit, exararent; sicque scriptiones ipsorum divinâ polerent auctoritate.

Ob. 7mo Ad hoc ut Scriptura sint 36.
divina, sufficit, eas piò animò scriptas esse, et optimâ fide, neuon de rebus

36. summis, et ad salutem pertinentibus. Ergo superflua videtur divina inspiratio.

Resp. neg. ant. Sic enim essent Scripturæ de Deô quidem, rebúsque summis et divinis charatæ; non tamen essent ipsummet Verbum Dei loquentis, et Spiritûs sancti oracula; quod tamen de essentiâ sacrarum Scripturarum est, prout sup. c. 1. ostendimus.

37. Ob. 8vus. Diligentia, probitas, et alia dotes Scriptorum sufficiunt ad convincendos infideles, et ad id inutilis est inspiratio divina, utpote perobscura et incredibilis. Ergo est superflua.

optima pag. 31

Resp. 1o trans. ant. neg. cons. Datô, non concessô, quòd inspiratio divina Scriptorum sacrorum sit inutilis ad convincendos infideles, non tamen ideô superflua dici debet: est enim adhuc utilis, et necessaria ad fideles confirmandos: fideles quippe nequeunt summam de iis, quæ sacrâ Scripturâ continentur, habere certitudinem, nisi ipsa auctoritate divinâ polleat; at verò hanc ipsa non habet, nisi fuerit à Deô inspirata, atque hac ratione sit Verbum Dei, quod solum summam habet auctoritatem.

Resp. 2o neg. ant. Licèt enim inspiratio divina sit obscura, non tamen est inutilis ad convincendos infideles, quia ipsis sufficienter probari poterit, et sic probata sufficiet ad illos convincendos fortiùs utique, quàm pietas et diligentia Scriptorum; con-

victi namque infideles de divinâ ins- 57
piratione, hoc ipso convincentur de 61.
veritate Scripturæ, cùm Deus nec falli
nec fallere possit, p.

Ob. 9.no Quod cum inspiratione 38.
repugnat, id nequaquam cum ea con-
ciliari potest. Atqui meditatio, et
conquisitio rerum ex ordine et dili-
genter conscribendarum cum inspira-
tione repugnat. Ergo cum eâ ne-
quaquam conciliari potest. Ob.
min. Meditatio postulat animum pa-
catum, tranquillum, ab omni com-
motione prorsùs immunem. Atqui
nihil est magis alienum abeâ pace
et tranquillitate mentis, quàm inspi-
ratio Dei. Ergo et ipsa cum medi-
tatione p. repugnat. Ob. min.
Inspiratio Dei nihil est aliud, quàm
illapsus Spiritus divini vehemens, et
repentinus, quo quis subitò extra se
abripitur, nec jam sui compos ser-
mones Dei eloquitur. Ergo aliena
est à Meditatione p.

Resp. neg. min. Hæc enim ins-
pirationis definitio non est univer-
salis. Varii enim sunt inspirationis
divinæ gradus: idem quidem divi-
nus Spiritus in Scriptoribus sacris
operabatur, at multiformiter, prout
nempe varia rerum scribendarum ar-
gumenta postulabant. Aliter enim

Historicos, aliter Prophetas videtur afflasse. Historios et morales sententias decet oratio simplex et tranquilla; quapropter earundem Scriptores leniis ac placidus afflabat Spiritus Dei. Prophetarum munus erat, increpare populum, futura praedicere, denuntiare vindictam Dei, languentem ac tepidam plebem, idolorum abominationibus plerumque contaminatam ad cultum Dei revocare. Itaque opus erat ardentiori stylo, gravioribus figuris, oratione magis comitata, ut vehementiores affectus excitarentur. Verum Zelus ide ardentior, quo se correptos sentiebant, afflante Spiritu Dei, nequaquam in eis extinguebat imaginandi, concipiendi, discernendique faultatem: imo tum objecta vividius percipiebant, et acrius discernebant. Unde si minus erat in excogitando laboris, et meditationis, non minus erat rationis et intelligentia. Historici autem lenius ac remissius inspirati, res usitatas non ita vivide imaginabantur, ac proinde aliquanto plus egebant industria, cura, et meditatione. Ubique ergo Scriptoribus sacris aspirat Deus, sive in Prophetas repentinus irruat, sive in alios placidus illabatur; nec sacer Prophetarum furor rationem excludit, nec pia Historicorum diligentia divinos afflatus cohibet.

Ob. 10mo Historici Sacri, et Evan- 59. ~~63.~~ 39.
gelistæ ubique ratiocinantur, disputant, et inquirunt. Atqui inspirationis seu prophetiæ auctoritas id non patitur. Ergo nec inspirati, seu tanquam Prophetæ scripserunt. Prob. min. Quisquis sua dogmata ratiocinio, disputatione, et inquisitione confirmat, simul ea unius cujusque judicio arbitrali subjicere videtur, atqui id repugnat Inspirationi seu Prophetiæ. Ergo neque idem ipsa patitur.

Resp. ad arg. neg. min. ad idem prob. dist. Maj. Quisquis purè et ex solis suæ naturæ viribus sine assistentiâ Spiritûs Sancti sua dogmata ratiociniô, disputatione, p. confirmat, is ea unius cujusque judicio subjicere videtur, conc. maj. Quisquis speciali directione Spiritûs Sancti adjutus id facit, is ea unius cujusque judicio submittere videtur, neg. maj. et pariter neg. min. et cons. Responsio patet ex sæpè jam dictis. Certè, ut nostram responsionem exemplô confirmemus. Quamvis inter Apostolos act. 15. simul congregatos de circumcisione, et legalibus cæremoniis magna fuerit disputatio, et conquisitio, tandem denique se à Deo inspiratos pronuntiare declarant: Visum est Spiritui Sancto p. Non ergo sua dogmata arbitrali unius cujusque judicio subjiciunt.

Bva 8vo 32.

60.
~~59.~~ Ob. ij.mo Auctoribus Sacris id con-
40. cedendum non est, quod Solius Christi pro-
prium est. Atqui ubique esse afflatum et inspiratum à Deo, nec usquam in ullâ re, nequidem levissimâ, aberrasse à veritate Solius Christi proprium est; Solus enim ille dictus est veritas, Solus caruit ab omni errore. Ergo in Sacris Auctoribus non est concedendum, sed dandum, eos aliquando de suo locutos aberrare potuisse, neque in singulis sacrisque circumstantiis fuisse afflatos.

Resp. dist. min. Ubique esse inspiratum à Deo Solius Christi proprium est, idest, esse inspiratum toto vitæ decursu, et quasi propriô jure. conc. min. per certa quædam intervalla, nec propriô jure. neg. min. Reverâ Christus, in quo omnis plenitudo divinitatis habitat, Solus est per se veritas, Solus omni errore caruit toto vitæ suæ decursu: non item Scriptores Sacri, qui, ut cæteri homines, de suô peccatum labebant et mendacium, atque ideò labi, et errare poterant, nisi cum eis Spiritus gratiæ et veritatis præsens adesset, et adexarandos Sacros libros excitaret. Nihil ergò derogatur dignitati Christi, si dicamus, Auctores Sacros certis temporibus participes factos fuisse ejusdem Spiritûs, qui semper habitabat in Christô, et eodem Spiritu afflante composuisse eos Libros, quos ut Sacros et divinos semper coluit Ecclesia.

41. Ob. iz.mo Multa continentur in Sacrâ Scripturâ, quæ magis juxta

61

praeconceptas ~~opiniones~~ vulgares homi- ~~tes~~
num de rebus opiniones, quàm juxta rei
veritatem Scripta sunt: ut quando Sol
et luna prae caeteris astris dicuntur lu-
minaria magna*, quamvis revera lon- (9) *Genes. i.
gè minora sint Stellis fixis, quae in firmamentô lucent, prout demonstrant Astronomi. ~~Dematur solis, deliberatio~~ ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~. Atqui hoc Dei inspirationi repugnat. Ergo et ipsa in hujusmodi rebus locum non habet.

Resp. dist. Maj. Multa sunt in Scripturis secundùm opiniones praeconceptas magis, quàm secundùm rei veritatem, si sermo sit de veritate astronomicâ et Mathematicâ, conc. Si sermo sit de veritate morali, prout ex usitatâ, et consuetâ loquendi ratione apud homines res exprimi solent. Neg. Maj. Neque enim Sacris Scripturis voluit Deus aut Mathematicos, aut Astronomos informari, sed Christianos, p.

Ob. 13tio Multa in S. Scriptu- 42.
râ leguntur Deo indigna, adeò, ut sine aliquâ impietate afflanti Spiritui divino adscribi non posse videantur. Talia sunt maledicta, imprecationes atrocia convicia, quae à Spiritu furoris et vindictae potiùs profluunt, quàm à Spiritu Dei, qui benignus est, et patiens, neinon clementiâ

62.
~~66.~~ plenus, p. Ergo ea non sunt à Deô inspirata.

Resp. 1º Neg. ant. Hujusmodi maledicta, p. narrant Scriptores Sacri velut facta, non verò dicunt, ea Spiritu Sanctô inspirante ab iis, qui ea protulerunt, dicta fuisse, p. prout parte 2da ubi de singulis Sacræ Scripturæ libris agemus, passim ostendemus.

Resp. 2º Hæc maledicta prophetium habere sensum, nec esse hominis malum optantis, sed prænuntiantis, adeoque sine ullâ impietate inspirationi divinæ attribui possunt p.

Primo L. Pag. 33

43. Ob. 14to In Scripturis extant plures circumstantiæ inutiles, inertæ, ac contradictoriæ. Atqui hujusmodi circumstantiæ inspirationi divinæ repugnant. Ergo p.

Resp. Neg. Maj. Nam 1º circumstantiæ illæ, quæ dicuntur inutiles, conferunt aliquo modô vel ad nostram institutionem, vel ad providentiæ Dei, seu alterius attributi divini commendationem, vel ad ornamentum, aut integritatem orationis; vel denique ad narrationis ingenuitatem, qua excellunt Sacræ litteræ, et qua earumdem veritas mirum in modum elucet. 2º Circumstantiæ illæ, quæ dicuntur incertæ, propriè loquendo non sunt incertæ, sed minùs præcisæ, et determinatæ: At denus, quasdam circumstantias incertas reperiri in Sacris Scripturis; quid aliud inde colligi

potest, nisi Spiritum Sanctum adsita- 63.
tam inter homines loquendi rationem
sæpiùs se accommodâsse, nec cum semper
Scriptoribus Sacris revelasse quædam mi-
nùs necessaria, quæ ad amussim expri-
mi nolebat? 3tio Denique, cir-
cumstantiæ illæ, quæ dicuntur contra-
dictoriæ, nonnisi speciéteniùs tales sunt,
licèt fortè eas conciliandi rationem
ignoremus: facilè enim fieri potuit,
ut non desit commoda conciliatio,
sed ea nos lateat ob res similes diversis
temporibus gestas, sive ob nominum
ambiguitatem, aut hominis alicu-
jus, aut loci plura nomina, et siquid
his simile est. Si quid in Scripturis,
inquit S. Augustinus*, absurdum videa-
tur, non idcirò licet dicere; Auctor
hujus libri non tenuit veritatem; sed
aut codex mendosus est, aut Interpres
erravit, aut tu non intelligis. Verùm
de his ~~[illegible]~~ fusiùs ubi singulos
Sacræ Scripturæ libros expendemus.

* lib. ii. cont. Faust. Manich. c. 5.

Ob. 15to Ad hoc, ut liber ali- 44.
quis sit divinus, atque cum Sacrâ et
Canonicâ Scripturâ æquali et divinâ
auctoritate donetur, sufficere vide-
tur auxilium Dei consequens, seu su-
perveniens Sancti Spiritûs testimoni-
um, quo ipse testetur, nihil falsum
eo contineri. Ergo non requiritur
divina inspiratio.

Resp. neg. ant. Enimverò hu-
jusmodi liber divinus quidem evade-
ret, at per adoptionem tantùm,

64.
~~68.~~ atque in alio rerum statu Scripturis Canonicis utcunque adnumerari posset, non verò esset divinus Deo auctore et inspirante conscriptus, quemadmodum de sacrâ Scripturâ semper credidit Ecclesia; ac per consequens sacris Scripturis nunquam posset adnumerari.

Solvuntur Objectiones Contra secundam partem Conclusionis.

48. Ob. 1.º Antiquissima Judæorum traditio, qua constat, illos semper tenuisse, omnia, et singula sacræ Scripturæ verba, et apices fuisse divinitus sacris Scriptoribus inspiratos. 2.º Habetur hoc ipsum etiam Matth. 5. v. 18. ubi dicitur, Jota unum, aut unus apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant. 3.º Apud Psalmistam, Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Ergo Spiritus Sanctus sacris Scriptoribus nedum res, et sententias, illarúmque sensum, sed et verba singula, et apices, illorúmque compositionem inspirasse, et dictasse dicendus est, adeò, ut ipsi nonnisi illius instrumenta, et amanuenses fuerint.

Resp. neg. cons. Hæc quidem fuit Judæorum traditio, ut videlicet conserent, verba singula formaliter sumpta sacris quidem Scriptoribus fuisse inspirata, id est, secundum sensum; non verò sumpta materialiter, et prout ab ipsis prolata, et scripta fuerunt.

Res enim eadem à Deo inspirata tùm va- 65.
riis vocabulis, tùm diversò verborum
circuitu sæpiùs exprimi potest. Ad
2dum cum S. Basilio aliisque Patri-
bus libenter concedimus, quòd nec jota,
aut unus apex, nec minimum Scriptu-
ræ verbum præteriturum sit ratione
rerum significatarum; at negamus,
singulas idcircò Scripturæ voces mate-
rialiter sumptas à Deo fuisse dictatas;
adeoque quamvis non inficiemur Spi-
ritum Sanctum confusè quidem, in-
directè, ac remotè duntaxat Scripto-
ribus Sacris vocabulorum abertatem
unàcum rebus, et sententiis fortè sub-
ministrasse, non tamen concedimus,
eum ipsis singula verba inspirasse
singillatim, directè, et proximè.
Ad 3tium dicimus, Sacros Scriptores
fuisse quidem calamum, et instrumen-
tum, seu Amanuenses Spiritûs Sancti,
at non merè passivum, seu meros Ama-
nuenses, qui verba et sylabas servili-
ter duntaxat exceperint; sed acti-
vum et rationale, seu Amanuen-
ses, qui dictantis sententias liberè
exceperint, et propriò ingeniò expres-
serint.

Ob. 2do auctoritas SS. Patrum. 46. (i)

1o S. Basilius, Nullam, inquit*, vocem
Sacræ Scripturæ oportet relinquere
indiscussam, quia in quâque dictio-
ne sylaba aliquid reconditi sensûs
habet. (K)

2o S. Joannes Chry-
sostomus, Nihil temerè, inquit*, vel

* 2da pag 39

* lib. de Spirit. S. c. 1.

* Hom. 18. in c. 4. genes.

70. fortuitò loquitur divina Scriptura, sed et Syllaba, et apicibus unus reconditum habet thesaurum. 3.o S. Augustinus ad hæc Evangelii verba, Unus militum lanceâ latus ejus aperuit: Vigilanti, inquit*, verbô Evangelista usus est, ut non diceret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quidaliud, sed aperuit, ut illic quodammodô vitæ ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiæ manarunt, &c. 4.to S. Gregorius Magnus, Ipse, inquit*, Spiritus Sanctus hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit, ipse scripsit, qui et illius inspirator extitit, et per scribentis vocem imitanda ad nos ejus facta transmisit. 5.o S. Bernardus, Ego enim, inquit*, jam olim mihi persuasi, in Sacri, pretiosique eloquii textu nec modicam vacare particulam.

(k) * Tract. 120. in Joan.

(m) * In exposit. lib. Job. c. 2.

(n) * Serm. 72. in Cant.

Resp. His et similibus SS. Patrum textibus probari quidem, omnia Sacræ Scripturæ verba formaliter sumpta seu secundum sensum fuisse à Deo inspirata, non autem materialiter sumpta, et prout ab ipsis Sacris Scriptoribus prolata fuerunt.

Unde ad singulos textus Resp. et quidem ad 1.mum S. Basilius hîc loquitur non de omnibus Scripturæ vocibus, sed de iis tantùm, quibus aliquid de Deô prædicatur, nam sic ibidem pergit: Proinde syllabas ex cutera non est aberrare à scopo.... quod si hæc ita se habent, quid esse potest in his verbis, quæ de Deô disseruntur adeò pusillum, ut sive rectè dictum sit,

(l)

(o)

sive sacris, non magnum habeat momentum in utramque partem. Has ergo voces et syllabas, quibus aliquid de Deo praedicatur, diligenter ac maturè ponderandas esse asserit S. Basilius. Easetiam à Deo fuisse inspiratas ultrò concedere possumus, quin tamen inde sequatur, omnes et singulas, quae sacrâ Scripturâ continentur, fuisse inspiratas.

Ad 2 dum Adhoc, ut nihil temerè et fortuitò in Scripturâ positum sit, necesse non est, ut omnia et singula verba à Deo inspirata dicantur, sed satis est, si sacri Scriptores dicantur inspirati quoad omnes sententias conscribendas, et quòd Spiritus Sanctus specialiter illis adstiterit, ne quidalium conscriberent, atque ut eas res et sententias, earumque sensum accuratè verbis suis exprimerent. Quando addit S. Chrysostomus, unam syllabam et apiculum unum habere reconditum thesaurum, id verum est propter res scilicet, seu sententias, quae illis exprimuntur; imò restrictè loquitur, et sensus illius est, quòd syllaba una aut apiculus habere possit, et quandoque habeat sensum reconditum, adeoque omnia Scripturae verba diligenter sint expendenda; quod potius sensum quàm ipsa verba respicit.

Ad 3 tium Resp. Hic S. Augustinus Evangelistae industriam commendat, non divinam inspirationem, quod pro nobis facit. Sed esto, quòd hoc

vox Aperuit, inspirata fuerit à Deo, non tamen sequitur, cæteras omnes ab ipso fuisse inspiratas; imò contrarium sensit ipse S. Augustinus supra à nobis laudatus.

Ad 4tum Resp. quòd ad hoc, ut Spiritus Sanctus dicatur, et re ipsa sit auctor Sacræ Scripturæ, sufficiat, si omnes sensus sacris Scriptoribus inspiraverit, et ad conscribendum ipsos specialiter moverit, invigilando nempe, ut nonnisi idoneis ad hos sensus exprimendos vocibus uterentur, ipsa, cùm opus esset, vocabula suggerendo. Et sic intelligendus est S. Gregorii locus; non verò, quasi necesse esset, ut omnia et singula verba, apicésque à Deo præcisè fuerint inspirati.

Ad 5tum denique Resp. Ex hoc S. Bernardi Testimonio ad summum sequi, quòd quædam vocabula Sacris Scriptoribus inspirata fuisse ipse sensit; et cùm dicit, in Scripturæ textu nec minimam vacare particulam, non in rigore mathematicò, sed in sensu morali loquitur, nec aliud vult, quàm nullas in Scripturis divinis voces inutiles esse; ad cujus rei veritatem satis est, si Scriptores sacri à Deo quoad omnes sensus conscribendos inspirati fuerint, neinon scripserint sub Deo vigilante, ne voces superfluas, minúsve ad sensuum inspiratorum expressionem idoneas adhiberent, et voces ipsas, cùm opus erat, inspirante.

47. Ob. 3tio Si singula Sacræ Scriptura verba non fuissent à Spiritu Sancto dictata, tunc ipsa Scriptura non foret

potioris autoritatis, quàm sint Ecclesiæ 60.
definitiones; ~~Ho~~ enim, quamvis immediatè à Spiritu Sanctô non sint dictatæ, fiunt tamen cum ipsius assistentiâ, quemadmodùm Sacri Scriptores ex assistentiâ Spiritus Sancti tantùm scripsisse dici debent, si non dicantur inspirati. Atqui. Ergo p.

Resp. neg. maj. et paritatem. Disparitas est, quia Ecclesiæ definitiones neque secundùm verba, neque secundùm sensum immediatè à Spiritu Sanctô dictantur, sed eidem tantùm assistit, ne in iis quidquam, quod fidei contrarium sit, definiat; at verò Spiritus Sanctus Sacris Scriptoribus, quamvis non semper vocabula et apices, quos expresserunt, ipsis dictaverit, tamen res ipsas, sententiásque, et earum sensum semper eis immediatè inspiravit.

Ob. 4to Tanta est connexio inter rei alicujus ideam, et vocabula, quibus res illa exprimitur, ut mens nostra, dum de rebus ipsis cogitat, nunquam abstrahat à vocibus, quibus exprimuntur. Ergo Deus Sacris Scriptoribus res ipsas inspirare non potuit, quin simul et verba, quibus res illæ significarentur, inspiraret; nisi naturalem illam connexionem rerum cogitatarum cum vocabulis, quibus res illæ exprimuntur, dissolvisse dicatur. 49.

Resp. 1o neg. ant. Potest enim mens nostra rei alicujus sensum percipere, quin ad singula omninò verba,

et apices, quibus res hæc exprimi potest, attendat. Potuit ergo Deus inspirare Sacris Scriptoribus rerum quarundam sensum, quin tamen singula, quibus ipsa exprimi possunt, verba inspiraret. Deinde, cùm aliud sint res cogitata, aliud verba, quibus ea exprimuntur; quid vetat, quin dicatur Deus res revelasse Scriptoribus Sacris, quibus deinde verba sua ipsi annexuerint, cùm eas percipiebant.

Resp. 2°. Datò etiam, Deum Sacris Scriptoribus unà cum rebus verba quoque inspirasse, quibus illæ exprimi possent; an propterea cogemur credere, ea ipsa verba, quibus res inspiratas expresserunt ii Sacri Scriptores, à Deo etiam ipsis inspirata fuisse? minimè profectò; cùm enim eadem res variis verbis, variáque apicum, et vocabulorum compositione exprimi possit, manifestum est, alia potuisse esse verba, quæ Deus una cum sententiis et rebus Scriptoribus Sacris inspirabat, alia, quibus hi eas exprimebant.

Caput Quintum.

De Canone Scripturarum.

49. Canon vox græca, latinè regulam quamdam, seu normam significat, unde etiam Conciliorum decreta Canones appellantur, quòd sint certa quædam regula à fidelibus servandæ. Hic verò Canon idem est, ac numerus seu index

sacræ Scripturæ librorum, extra quem 71.
qui fuerint libri, tanquam prophani, apocryphi, et dubiæ auctoritatis rejiciuntur.

Hujusmodi Canon seu Sacrorum librorum Index triplex est, Judæorum unus; alter Catholicorum; tertius Acatholicorum. Singulos præsenti capite expendimus.

Notandum: inter hos sacræ Scriptu- 50.
ræ libros alios vocabulo complexo è græco derivato dici à Catholicis Proto=Canonicos, idest, Ante=Canonicos, quòd ante omnem Ecclesiæ definitionem, ab omnibus velut Canone jam contenti fuerint acceptati; cujusmodi sunt omnes et singuli Veteris Testamenti libri illi, qui adhuc hodie in codicibus hebraeis extant, et ab ipsis velut Canonici, et divinæ auctoritatis habentur. Alios verò Deutero=Canonicos, quasi Post=Canonicos, Suntque ii, qui, postquam apud quosdam aliquanto tempore olim in dubium fuissent adducti, postmodùm tamen secutâ Ecclesiæ definitione, à cunctis fidelibus pro Canonicis accepti, et habiti fuerunt. Modò ad ipsos Canones. Et primò quidem

De Canone Judæorum. 51

In Hebræorum Canone viginti duo tantùm Scripturæ libri continentur, videlicet, Genesis; Exodus; Levitius; Numeri; Deuteronomium; Josue; Judices, et Ruth; Primus et Secundus Samuelis; Primus et Secun-

72. ~~70~~ dus Regum, seu Regnorum; Primus et Secundus Paralipomenon; Primus et Secundus Esdræ; Psalmi; Proverbia; Ecclesiastes; Canticum Canticorum; Isaias; Jeremias et Lamentationes una cum Epistolâ Baruch ad Captivos; Daniel; Ezechiel; Job; Esther; Duodecim Prophetæ minores.

Neque enim plures recensuit Josephus*, qui, cùm Sacerdos esset, non potuit non scire, quinam essent apud gentiles suos Libri Canonici.

* lib. 1. cont. Appion.

Veteres item Patres ut Origenes apud Eusebium lib. 6. Hist. c. 23. Athanasius, vel quicumque alius, in Synopsi. Epiphanius, lib. 1. Hæres. 8. Hilarius præfat. in Psal. ~~Hier~~ Hieronymus ~~dopo~~ in Prolog. Galeat. definiunt, apud Judæos viginti duos hos libros tantùm extare, qui apud ipsos divinæ auctoritatis existimentur; hùnque duntaxat numerum hodiernum Judæorum Canon completitur.

Qui verò ex Catholicis Patribus viginti quatuor libros, ut Melito Sardensis*, in Judæorum Canonem referunt, librum Ruth à libro Judicum, et Threnos, seu Lamentationes à Jeremiæ libro avellunt, cùm tamen in Canone Judæorum Ruth Judicum libro, et Threni Jeremiæ jungantur, prout supra à nobis est indicatum.

* apud Eusebium lib. 4. Hist. c. 26.

At qui viginti septem numerant, memoratos viginti duos libros ita dispertiunt, ut librum Ruth, duos Regum, unum ex Paralipomenis, et ex Esdra unum separatim recenseant;

aut saltem eos ita distribuant, ut nunquam ~~77~~ addictum viginti duorum librorum numerum excedant.

Esdram esse autorem Judaeorum Canonis indubitatum apud omnes est; ut qui post Hierosolymitanum excidium, et deportationem Babyloniam magnâ ex parte dispersos, vel neglectos sacros Codices Artaxerxis Longimani avô, recuperatâ libertate ~~cog~~ collegerit, et in Canonem redegerit. 52

At quâ ratione id ab ipso factum sit, non est eadem omnium sententia. Nonnulli enim volunt, Esdram sacrô Numine afflatum memoratos viginti duos libros, prioribus excidiô et incendiô penitus abolitis quinque viris dictasse. Ita sentit Autor lib. 4. Esdrae, qui cap. 14. commentitiam rei gestae historiam explicat. sta 57

Scriptorem hunc, licet futilem, Judaïcisque fabulis passim redundantem sentiti sunt Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. Theodoretus Praefat. in Psal. Apertissimè verò omnium Basilius, Epist. ad Chilon. Atque etiam in eandem sententiam viri quidam doti recentiores abierunt.

Verùm hanc opinionem jam sup. cap. 2. pag. 23. in responsione ad Objectiones. explosimus, ejusque falsitas vel inde patet, quòd certum sit, Hebraeos in exiliô suô non carusse Lege Mosaïcâ. Enimverò ipse Esdras se Scribam velocem in Lege Dei appellat *; ergo eam adhuc tunc entitisse innuit. Danielis quoque c. 9. Moysis liber tanquam superstes, et

* c. 7. v. 1.

vulgò cognitus, ac versari solitus citatur.

Et qui credat, tantam esse potuisse cladem, ac vastitatem, ut ne apud privatos quidem homines ulla servata sint Sacrorum Codicum apographa? Non apud Ezechielem, vel Mardochaeum? nec apud ipsum Jeremiam, quem Nabuchodonosoris jussu Nabuzardan Magister Militiae ab omni injuriâ tutum praestitit?

Certum ergo esse debet, Esdram libros Sacros dissipatos colligisse duntaxat, et instaurasse, non verò penitùs deperditos et abolitos de novò afflatum divinò Spiritu restituisse. Quem proinde laborem Judaeorum Synagoga, in libertatem sublicet tum apertis Hebraeis, in amplissimum coetum coacta approbârit; Esdrinumque Canonem ut Sacrorum ac divinorum librorum Judicem populi usibus concesserit.

Ita sentire videntur Veteres Patres. Irenaeus, qui lib. 3. c. 25. ait, corruptas Scripturas ab Esdrâ restitutas fuisse: cui suffragantur Tertullianus de hab. mul. c. 3. et Hieronymus Adv. Helvid. c. 3. Idque clarissimè tradit Chrysostomus Hom. 8. in Epist. ad Heb. dum Esdram Dei instinctu Scripturae Sacrae reliquias digessisse, et in unum corpus compositisse significat. Accuratiùs adhuc Auctor Synopseos, quae Athanasio tribuitur, ait, Sacros Codices per Captivitatis diuturnitatem, et populi inuriam amissos, Esdram penes se servasse, et suò demum tempore protulisse, ac publici juris fecisse.

Esdrinum autem hunc Canonem à Synagogâ Magnâ auctoritatem accepisse testes locupletes sunt Elias Levita, et alii Rabbini. Thalmudista quoque

hunc Esdræ sacrorum librorum Canonem 75. 79.
à Synagogâ magnâ firmatum testantur.

Josephus quoque contra Appionem disputans*, Gentilium horum hunc esse morem ait, ut, si quæ ingruant bella, pace denuum compositâ, veteres Scripturæ à superstitibus Sacerdotibus recognoscantur, relegantur, ac renoventur; nec de rebus sacris scripta in vulgus edere uniuique fas esse, sed Prophetis solùm, qui, Dei instinctu, et præterita, et præsentia sciunt: hinc duo solùm et viginti sacra volumina, et ea sibi urquequaque consentanea gentem hanc usurpare, veterem omnem anteacti temporis memoriam complexa; à Moysis temporibus usque ad Artaxerxis Longimani ætatem scripta; ab hac ætate verò singula quidem suiqs relata in litteras, sed eandem, quam superiora, fidem minimè esse consecuta. * lib. 1.

Ex quibus liquet, post Babylonica bella, ex more Judæorum instaurari debuisse Codices sacros, idque superstitum Sacerdotum operâ, qualis fuit Esdras: horum verò librorum collectionem Artaxerxe Longimanô imperante desiisse; quod sanè fieri non potuit, nisi per Canonem publicâ auctoritate conditum, quo qui non continerentur libri, pari existimatione carerent.

Olim plures apud Hebræos extitisse 53.
libros ~~sacros~~, quàm in Canone Esdrinô recenseantur, ipsa Scripturæ sacræ testantur quæ viginti hujusmodi libros citant: ut sunt liber Bellorum Domini, Numer. 21. Liber Justorum, seu Liber Recti, Josue 10. Liber verborum seu rerum gestarum à

6. 38

80. Salomone, 3. Reg. 11. Liber Verborum Regum Israël, 3. Reg. 14. Liber Verborum Regum Juda, ibid. Samuelis Libri, 1. Paralip. c. ult. Alius quidam Samuelis liber, 1. Reg. 10. Nathani liber, 1. Paralip. 29. Gad Prophetæ liber, ibid. Abia Prophetæ, 3. Reg. 5. Jehu Prophetæ, 2. Paralip. 20. Addonis Prophetæ, ibid. c. 9. Cholai Prophetæ, ibid. c. 33. Tria millia Parabolarum Salomonis, 3. Reg. c. 4. Salomonis Cantica quinquies mille, ibid. ex textu Græco Septuaginta Interpretum, et ex vulgatâ editione: at Latina editio ad textum Hebræum correcta, nonnisi Cantica quinque supra mille commemorat. Salomonis Physica, ibid. Liber Enoch, prout ex Judæ Apostoli Epistolâ colligit S. Augustinus*. Epistola Eliæ Prophetæ, 2. Paralip. c. 21. Jeremiæ Descriptiones, 2. Machab. c. 2. Joannis Hircani liber dierum, 1. Machab. c. ult.

* Lib. 15. de civ. c. 23.

His addi possent, Liber Eldad, et Medad; præter centum quinquaginta Psalmos, psalmus unus; necnon Testamentum Moysis, ex Auctore Synopseos.

An verò hi libri apud Hebræos olim, et ante Esdrinum Canonem Divinæ fuerint auctoritatis, non est una, eademque Patrum et eruditorum virorum Sententia. Origenes dubitat*. Joannes Drusius vult, fuisse quidem Agiographos, seu Sacros, sed non Canonicos*. Serarius docet, nonnullos ex iis fuisse Canonicos, sed non omnes. S. Augustinus verò tueri videtur, nec Sacros fuisse, nec Canonicos; ait enim*, Ex iis non-

* Præfat. in Cant.

* Epist. 161.

* Lib. 18. de civ. c. 38.

nudos à Prophetis quidem conscriptos fuisse, quamvis ignoretur ipse, cur in Judaeorum Canonem antiquum relati non fuerint, nisi quòd verisimile sit, Prophetas eos, ut merè homines historicâ diligentiâ duntaxat scripsisse, non ut Prophetas; undè potiùs ad cognitionis ubertatem eos pertinuisse, quàm ad Religionis auctoritatem. 77.

Memoratos hos libros nulibi amplius extare docent Catholici, et Acatholici omnes; Judaei quoque, ut Abenezira*. Liber ergo Zeiti, et liber Bellorum Domini, quos Hebraei hodie legunt, conficti, et conscripti fuerunt à Recentioribus Rabbinis; Priorque dem à Rabbi Tham, alter verò à Ralbag. * In Num. c. 1.

De Canone Catholicorum.

Ad Canonem Catholicorum ii tum Veteris tum Novi Testamenti Libri omnes referuntur, quos Cap. 1. hujus Tractatûs ex Concilio Tridentino recensuimus. 54.

Hanc Canonis Scripturae Librorum determinationem Innocentio I. Papa praecipuè debet Ecclesia; cum enim de auctoritate quorumdam Sacrorum librorum inter orthodoxos esset controversia, Exuperius Tolosanus Episcopus sub finem quarti, vel initio quinti Ecclesiae Saeculi hâc de re ad laudatum S. Pontificem dedit litteras, quibus eum rogabat, ut quinam Scripturae libri tanquam Canonici recipiendi essent, quinam ut apocryphi,

7.39

~~82~~ Seu nullius auctoritatis divina rejicien-
di, determinaret. Eidem annô
400. respondit Innocentius*, Libros,
qui in Canonem recipiendi sunt, eos,
quos cit. cap. 1.º ex Tridentinô retu-
limus, ordine recensens.

3 * Epist. 3.

Quam Canonis Scripturarum de-
terminationem incunctanter sequu-
deinceps sunt Concilia, Patres, Univer-
sáque Ecclesia; intérque alia pluri-
ma Concilium Carthaginense IV. an.
419. celebratum, cui interfuit ipse
S. Augustinus; Concilium Romanum
sub Gelasiô Papâ an. 495. ac denique
Tridentinum.

Hunc etiam Canonem secuti sunt
SS. Patres: Augustinus, lib. 15. de civ. c. 25.
et lib. 2. de Doct. Christ. c. 18. et Epist. 235.
cui subscripserunt Junilius Afer, lib. 1.
Institut. Antiquus Interpres apud
Cassiodorum, lib. de Divin. lect. c. 12. Cas-
siodorus ipse, lib. 1. Instit. divin. c. 13.
Rabanus Maurus, lib. 2. de Instit. Cleric.
Isidorus, lib. 1. de Eccles. Offic. Aliique
benè multi, ipsáque, ut diximus, uni-
versa Latina Ecclesia.

Libri autem Scripturæ sacræ,
qui ante Innocentii decretum dubiæ
fuerunt apud Catholicos auctoritatis,
hi numerantur: Ex Veteri Testa-
mentô, Additamenta Esther; Ba-
ruch; Danielis pars, quæ græcè tan-
tum extat; Tobias; Judith; Sa-
pientia; Ecclesiasticus; Macha-
bæorum primus, et secundus.

Ex Novô autem Testamentô,
Marci; Lucæ; Joannis partes quæ-

dam; Epistola ad Hebræos; Epistola Jacobi; Posterior Petri; Prima Joannis particula; Secunda et Tertia Joannis; Epistola Judæ; et Apocalypsis. De quibus part. 2. hujus Tractatûs singillatim acturi sumus.

Post Decretum verò Innocentii hi libri Deutero=Canonici à Catholicis fuêre nuncupati, quòd olim, cùm cæteri ab omnibus tanquam Proto=Canonici seu divini sine controversiâ recepti fuerint, isti primùm post Laudati Papæ determinationem pro divinis haberi coeperint, priúsque de illis dubitatum fuerit, nec nisi libris Ecclesiasticis, quibus videlicet nondum aperta fuisset divina auctoritas, adnumerati fuerint.

Reliqui verò, quamvis adhuc legantur, inter Apocryphos rejecti ad hunc usque diem remanserunt: ut sunt, Ex Veteri Testamentô fragmenta, quæ supersunt libri Enoch; Tertius et quartus Esdræ; Tertius et Quartus Machabæorum; Oratio Manassis; Testamentum duodecim Patriarcharum; Psalterium Salomonis; Psalmus 151. et alia hujusmodi.

Ex Novô autem Testamentô Epistola S. Barnabæ; Epistola falsò adscripta S. Paulo ad Laodicenses; plura Evangelia, et Apostolorum acta commentitia; Plures etiam

commentitia Apocalypses; Liber Hermæ, qui inscribitur Pastor; Epistola Jesu Christi ad Abgarum; Epistola S. Pauli ad Senecam; et alia hujusmodi. Vide Fabricium in Catalogo Librorum apocryphorum Novi Testamenti.

De Canone Catholicorum.

55 Non unus idemque semper fuit Scripturarum Canon apud illos, qui variis Ecclesiæ sæculis Catholicam doctrinam aversati sunt; sed, prout videlicet secundum sectarum suarum varietatem commodum ipsis visum fuit, modò hos, modò illos Scripturæ libros, quamvis ab Ecclesiâ receptos, è Canone expungendos voluerunt.

Sic enim sæculi 1mi hæretici, Simoniani videlicet, Basilidiani, et Marcionitæ, sæculi 2di, omnes Veteris Testamenti libros, teste Irenæo*, respuebant. Eos deinde secuti sunt Manichæi sæculi 3tii hæretici, prout refert Epiphanius*.

Alii apud Philastrium*, expungebant Ecclesiastem ex Canone, quia arbitrabantur, eum à Salomone compositum fuisse, cùm mulierum amore esset depravatus. Hac quoque ratione alii apud eundem Philastrium*, negarunt, Cantium Canticorum esse sacrum librum.

Nonnulli apud Augustinum* recipiebant quidem Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ; sed Joannem ejiciebant.

* lib. 1. c. 20.

* Hæres. 66.

* In catalog. Hæres.

* c. 133.

* Hæres. 30.

Ebion, qui saeculo I. Ecclesiam vexavit, solum Matthaei Evangelium probabat, quod probat ~~Irenaeus~~ Irenaeus*. * lib. 1. c. 26.

Cerinthus itidem Saeculi I. Haeresiarcha utebatur solo Marci Evangelio* * Ibid. lib. 3. c. 11.

Apud Marcionem, ut auctor est Tertullianus*, solus Lucas, sed mutilus, et corruptus, erat in pretio. * lib. 3. de Praescript.

Actorum librum e numero sacrorum librorum expungebant Cerinthus apud Philastrium*; Cerdo Saeculi 2di haereticus apud Tertullianum*; Tatianus Saeculi etiam 2di Haeresiarcha apud Eusebium*; Manichaei apud S. Augustinum*. * c. 36. * Lib. de Praescript. * lib. 4. Hist. c. 29. * lib. de util. credendi c. 3.

Marcio Pauli quoque Epistolas ad Titum, et Timotheum rejecit*. Nonnulli quaedam alias S. Pauli Epistolas humano, non divino Spiritu dictatas censebant, et praesertim eam, quae est ad Philemonem*. * Epiph. Haeres. 42. * Aug. lib. 2. cont. Advers. Leg. et Prophet.

At qui ultimis hisce temporibus à communione Romanae Ecclesiae discesserunt, ex Scripturarum Canone excludendos censuerunt omnes Veteris Testamenti libros, quos in Canonem suum non receperunt Judaei; aut saltem, qui in antiquo Judaeorum Canone non reperiuntur, ut sunt, Baruch, Tobias, Judith, Ecclesiastius, Sapientia, Ambo Machabaeorum libri.

Ex Novi Testamenti Codicibus autem rejecerunt Pauli Epistolam ad Hebraeos, quam nec Pauli, nec alius Apos-

~~86.~~ toli esse contendunt, quippe quæ, quod ajunt, res contineat Apostolicæ et Evangelicæ doctrinæ contrarias.

Ex Canone etiam deleverunt Epistolas, Jacobi, Judæ, Secundam Petri, Secundam et Tertiam Joannis, necnon ipsius Apocalypsim. Ita Lutherus, quem Sentus est Kemnitius*.

* In exam. Sess. 4. Conc. Trid.

Calvinus, et si multos alios, quàm qui in antiquô Judæorum Canone continentur, Veteris Testamenti libros agnoscat*; quantùm ad Novi Testamenti Codices tamen docet, Epistolam ad Hebræos esse verè Apostolicam, quamvis dubium sit, cujusnam sit, an Pauli, an verò alterius cujusdam Apostoli*. Epistolas quoque Jacobi, Judæ, Secundam Petri, et Tertiam Joannis in suum Canonem retulit unaum Apocalypsi.

* Instit. lib. 1. c. 11. et lib. 2. c. 5. Item lib. 3. c. 5.

* ibid. c. 8. §. 216.

Magdeburgenses verò, quamvis, in omnibus ferè, Luthero assentiantur, cum Calvinô tamen docent*, Apocalypsim esse librum divinitus conscriptum, ac proindè in Scripturarum Canonem referendum. Modò sit pro Catholicorum sententiâ

* Cent. 1. l. 2. c. 4. col. 56.

Conclusio.

56. Ad Ecclesiam pertinet determinare, et definire, quisnam liber sit Canonicus; illiusque auctoritas est certa regula ad libros vel in Sacrorum Codicum numerum recipiendos, vel etiam ex eo numerô rejiciendos; verbô ad discernendum inter verbum Dei, et verbum hominum.

Prob. Conclusio 1.° Ex S. Scripturâ. Ex Veteri Testamento 1.° Exodi 18. Cùm coepisset populus Dei redigi ad quamdam formam Ecclesiastica Reipublicæ, Moyses tanquam Princeps et Caput, necnon strenui viri illi, quos elegerat, ad dubia circa legem Domini exorta respondebant, atque ea definiebant. Ergò à fortiori in Novâ Lege, cujus Vetus duntaxat typus fuit, circa eandem Dei legem, libros nempe eam continentes judicandi, eósque determinandi penes Ecclesiam erit potestas.

2.° Deuteronomii 17. v. 8. et seq. Deus populo Israëlitico præcipit, ut ortâ controversiâ Sacerdotes adeat, tanquam Judices suos, faciatque, quodcunque dixerint, et docuerint juxtà legem ejus, nec ab ipsorum sententiâ sive ad dexteram, sive ad sinistram declinet p. Ergò etiam à pari, ubi circa librorum sacrorum Canonem orta fuerit quæstio, Ecclesia, quam Episcopi, velut in Veteri Lege Sacerdotes Synagogam, repræsentant, judex est, atque infallibili, et cui nemo contradicere audeat, sententiâ eos definire potest.

[illegible]

~~88. Determinatio Canonis Scriptura~~ ~~rum.~~

7.to Malachiæ 2. Sacerdotes populi adoquens Dominus eorum ayendiationem designat his verbis: Labia Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent /: populi :/ ex ore ejus. Ergò etiam ab Ecclesia ore lex Dei requirenda est, adeóque et Canon librorum Sacrorum.

Ex Novo Testamento. 1.o ex illo Matth. 18. v. 17. ubi de quocunque fideli ait textus: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus. Ergò et ille sicut Ethnicus et Publicanus habendus est, qui Ecclesiam Scripturarum Canonem definientem, et determinantem audire renuerit.

~~2.o Ibid. v. 17. vaticinatus dictum, super Cathedram Moysis sedent Scribæ et Pharisæi, quæcunque dixerint vobis servate, et facite; Ergo Pontifices Scribæ et Pharisæi Cathedrâ sedebant, quæ ergò Scripturarum Canonem definiebant.~~

2.o Actorum 15. v. 28. Cùm Antiochiæ orta esset gravis quæstio, an servanda esset Lex Moysis à Gentibus ad Fidem conversis, ad Ecclesiam prodirimendâ hac quæstione confugerunt Antiocheni, quam et ipsa solvit his verbis: Visum est Spiritui Sancto, et nobis p. Ergo etiam ortâ quæstione de libris Canonicis S. Scripturæ ad ipsam est confugiendum.

3.tio Ascendi, inquit S. Paulus *, Hierosolymam cum Barnaba ..... et contuli cum illis /: nempe Apostolis et Seniorébus

* Galath. 2. v. 1. et 2.

Ecclesia, Evangelium, quod prædico in Gentibus. Ergo si Paulus Ecclesiam agnovit tanquam Evangelii, quod prædicabat, judicem, quanto magis nos eam agnoscere debemus velut Judicem Canonis sacrorum librorum. 85.

Prob. 2do Ex Conciliis et Patribus. 57.
ac 1o ex Conciliis, Carthaginensi, Romano, Tridentino supra hujus Capitis initio citatis. Item ex Patribus ibidem adductis, qui, ut et Concilia ista, Scripturarum Canonem ab Innocentio Papa I. toti Ecclesiæ propositum adoptarunt. Ergo ~~adhibuerunt~~ censuerunt, ad summum Pontificem, Ecclesiamque pertinere, Canonem istum determinare, atque divinos libros ab humanis discernere. Sed pro omnibus Patribus sit S. Augustinus, qui, Evangelio, inquit, non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret autoritas. Ergo nec libros Canonicos continere Evangelium credidisset, nisi Ecclesiæ autoritas eum movisset.

* lib. cont. Epist. fund. c. 5.

Prob. 3tio Ratione Theologica. 58.
1o Non minor debet esse autoritas Ecclesiæ, ac olim Synagogæ fuit. Atqui Synagoga autoritatem habuit determinandi, ac definiendi suorum sacrorum librorum Canonem. Ergo a fortiori eadem autoritate pollebit Ecclesia.

Major est aperta, atque eo minus negari potest, quod Synagoga Ecclesiæ typus et figura duntaxat fue-

2.42

rit. Minor verò habetur ex dictis hujus Capitis initiò, ubi de Judæorum Canone egimus. Ergò p.

2°. Si ab Ecclesiæ autoritate repetendus non est Scripturarum Canon, tunc ille innotescere debet vel per Scripturam ipsam, vel per criteria, ut vocant, seu indicia, quæ in ipsâ reperiuntur, vel denique per unicuiusque privatum Spiritum. Sed à nullô horum repeti potest hujusmodi Sacræ Scripturæ Canonis determinatio. Ergò ab Ecclesiâ repeti debet.

Major est Adversariorum, cùm enim Ecclesiæ hanc autoritatem denegent, necessè omninò est, velint nolint, ut vel ad Scripturam ipsam, vel ad ipsius criteria, vel denique ad hunc privatum Spiritum confugiant, unde Canonem suum eruant. Neque nobis quidquam de Traditione obganniant; omisso enim, quòd ipsi eam contemnant, non præter ea, quæ jam annotavimus, ostendemus, illam eis omninò contrariam esse.

Prob. igitur Minor, quoad 1 num Nullibi in Sacrâ Scripturâ prorsùs clarè, imò ne quidem obscurè dicitur, omnes libros illos, quos etiamnum Acatholici pro Canonicis agnoscunt, esse verè divinos, non autem illos, quos ipsi rejiciunt; prout ex ipsâ totius Scripturæ perlustratione patet. Deinde, etsi alicubi in eâ legeretur, hos,

e.g. et non alios libros, hoc et non alia ~~gr.~~ Capita, has et non alias sententias esse verè Sacram Scripturam; id tamen propterea infallibiliter certum non esset; dubitari enim adhuc posset, num ea ipsa loca, in quibus id adnotatum legeretur, verè Sacra Scriptura essent; aut an non potiùs impostor aliquis idipsum eis addidisset. Certè ex titulo et dictione aliquâ certò haberi non potest, librum quemdam esse divinum; nisi etiam quis ineptè diceret velit, Alcoranum et Thalmud esse quoque libros divinos, quòd à suis Auctoribus divini nuncupentur. Ergò ex ipsâ Scripturâ librorum Sacrorum Canonis determinatio repeti non potest.

Prob. quoad 2dum Istra criteria, et indicia sunt vel clara, et evidentia, vel obscura, et inevidentia. Neutrum dici potest. Ergò p.

Non primum. Hanc quippe lucem in istis libris non modò Ethnici non viderunt, ut et ipsi Judæi in Novi Testamenti libris; sed etiam viri doctissimi juntà et Sanctissimi ex Christianis; imò de quibusdam ex his libris, quos ipsimet Adversarii tanquam Canonicos recipiunt, quidam antiqui Patres dubitare visi sunt, prout suprà jam insinuavimus, et infrà specialiter adhuc dicemus.

92. Sed neque 2dum valet. Si enim criteria illa, et indicia obscura sunt, et dubia, neutiquam parere possunt certitudinem infallibilem, adeoque ex iis non potest determinari Sacrarum Scripturarum Canon.

Prob. denique quoad 3tium, tum quia aquè incertum est, an Spiritus ille privatus sit illustratio divina, ac an ipse Canon sit divinus: tum quia omnes alii eodem jure dicere possunt, se per suum privatum Spiritum cognoscere contrarium. Sic Mahometanus dicet, sibi internum suum Spiritum dictare, non Christianorum Biblia duntaxat, sed Alcoranum esse librum divinum. Sic etiam Catholici possunt dicere, se ab internô et privatô Spiritu habere, libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, et Machabæorum esse Canonicos. Sic Calvinista contra Lutheranos tuebuntur, se à suô internô et privatô Spiritu didicisse, Epistolas ad Hebræos, Jacobi, et Judæ esse Canonicas. Ergo aliundè sumendus est Scripturarum Canon; ab Ecclesiâ Catholicâ scilicet, quæ sola est columna, et firmamentum veritatis, quæque in rebus ad fidem pertinentibus errare non potest, quippe cui Christus Dominus promisit, inferi portas nunquam adversus ipsam prævalituras esse, petendus est.

Ob. 3o Ratione ex ipsis adversarij petitâ, quod utique optimum probandi genus est. Ipsimet igitur Protestantes in Comitiis Augustanis an. 1530.

celebratis confessionem fidei sua Carolo V. 89.
Imperatori obtulerunt, ubi c. 7. de Eucl.
fateri videntur, Ecclesiam habere autoritatem determinandi Scripturarum Canonem, ajunt enim, in eâ Evangelium purè doceri; at quâ ratione ipsa id præstaret, si non posset discernere verbum Dei à non verbo Dei. Ergò p.

Lutherus ipsemet fatetur etiamnum*, Ecclesiam habere potestatem discernendi Verbum Dei à Verbis hominum; adeoque definiendi Scripturarum Canonem. Ergò p.

* lib. de captiv. Babyl. de Sac. ord.

Solvuntur Objectiones.

Ob. 1º Libros istos, qui à nobis Catholicis velut Canonici suspiciuntur, Ecclesia in Canonem refere non potuit, nisi eos divinos et Canonicos cognoverit, vel ex revelatione divinâ, vel ex traditione. 59.
Atqui ex neutrâ id potuit. Ergò nec istos in Canonem refere. Maj. est evidens. Min. prob. 1º Non ex revelatione divinâ cognovit, siquidem post Apostolos novæ de fidei dogmatibus revelationes explodunturæ. 2º Neque ex Traditione: nam quantùm ad Canonem, quem Ecclesia de Veteris Testamenti libris tenet, ei Canon Hebræorum supra à nobis relatus adversatur, quem tamen Judæi omnes, necnon celeberrimæ Ecclesiæ Patres Græci et Latini sentiunt, qui etiam illos Novi Testamenti libros, quos Ecclesia antiquo Canoni adjecit, è sacrorum librorum catalogô expungunt.

Et quidem 1º Melito Sardensium Episcopus Epistolâ ad Onesimum*, numa-

* apud Euseb. lib. 4. Hist. c. 28.

90.
~~99~~. rum, et ordinem Sacrorum librorum refe-
rens, Veteris Testamenti viginti duos tan-
tùm recenset, prætermissis iis, quos Eccle-
sia Canoni Judæorum addidit.

2°. Origenes in expositione Psalm.
Veteris Testamenti librorum indicem ex-
hibens, etiam juxta Hebræorum Canonem
viginti duos tantùm recenset, omissis iis,
quos Melito prætermisit. Et lib. 5. ex-
positionum in Evangelium Joannis, ubi Epi-
stolas Apostolorum recenset, non memi-
nit Epistolarum S. Judæ, et S. Jacobi.

3°. Concilium Laodicense an. 319.
celebratum Can. ult. ubi Sacrorum librorum
seriem texit, nullam fecit mentionem libro-
rum Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiasti-
ci, neque Machabæorum; Libros quoque
Novi Testamenti enumerans Apocalypsim
prætermittit.

4°. In posteriori Canone Apostolo-
rum, quod quidem Opus, etsi non sit Apos-
tolorum, attamen antiquissimum est, ii-
dem libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccle-
siastici, et duo Machabæorum inter suos
Veteris Testamenti libros non recensentur.

5.to Eusebius lib. 3. Hist. c. 25. Epis-
tolas Jacobi, Judæ, Petri secundam, Joan-
nis secundam, et tertiam velut dubias la-
beri testatur.

6.to Auctor Synopsis, viginti
duobus Canonis Hebræorum Codicibus addit
tantùm libros Ruth, et Esther, ut quos
ex Veteribus aliqui duntaxat pro Canoni-
cis apud Hebræos haberi dixerint.

7.mo S. Gregorius Nazianzenus,
seu, prout nonnulli volunt, Amphilochius

Ironiensis Episcopus, Iamb. 3. Sacrorum libro- 91.
rum texens indicem, inter libros Veteris Testamenti nullam fait mentionem Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, neque Machabæorum; quantùm verò ad Novi Testamenti libros, septem Catholicas Epistolas à quibusdam agnosci asserit, ab aliis verò tres tantùm; et Apocalypsim à multis rejici.

8vo Cyrillus Hierosolymitanus in referendo Sacrorum librorum Canone cum Gregorio Nazianzeno prorsùs concordat, atque ac Auctor Hierarchiæ Cœlestis, quia S. Dionysio adscribitur.

9no S. Epiphanius viginti duos tantùm libros ex Hebræorum Canone recenset*.

10mo Epiphanium sequitur S. Damascenus*.

11mo Leontius, Anastasius Sinaïta ambo Nicephori, Antiochus, et Philippus Solitarius, cùm Sacros libros recensent, citatos modò Patres apertè sequuntur, neenon Hebræorum Canoni adhærent.

12mo S. Hilarius tantùm viginti duos Veteris Testamenti libros etiam commemorat*.

13tio S. Hieronymus librorum sacrorum indicem ex Hebræorum Canone referens, libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, et duos Machabæorum extra Canonem esse asserit, imò etiam inter apocryphos collocandos esse.

Resp. non quidem ex revelatione 60.
divinâ Ecclesiam judicasse, libros illos, de quibus nunc sermo est, esse Canonicos, sed ex traditione, factâque eorumdem librorum ad eam, cæterosque Canonicos Codices discussione.

* lib. 1. adv. hæres. et lib. de mens. et pond. c. 23.
* lib. 4. de fide orth. c. 18.
* Præfat. in Psal.

92. Et verò, quod supra jam diximus, mirum est, quod Ecclesiæ eam detrahi velint auctoritatem Catholicii, quam ultrò Synagoga tribuunt; enimverò constans veritas est, Synagogam magnam, cùm, proponente Esdrâ, Canonicos libros susciperet, id non revelatione duntaxat fecisse, sed disertis ad Majorum suorum Traditionem hisce codicibus. Quid ergo obest, quin eandem, imò Majorem auctoritatem Ecclesiæ Christi adscribamus, ut videlicet examinatâ præteritorum sæculorum, ipsorúmque Judæorum Traditione, discutisque in se ipsis libris, eos, cùm nihil, quod fidei, nihil, quod bonis moribus obviaret, continerent, sed ad virtutem amplectendam homines incitare inprimis viderentur, in Canonem referri oportere decerneret; quamvis priùs de iis aliqui dubitare visi sint? Hanc Ecclesiæ regulam tradit Augustinus*. Modò ad singula respondendum.

* Lib. 2. de Doct. Christ. c. 8.

61. Et quidem, quod Veteris Testamenti libros attinet, mirum non est, si ii, qui post Esdram, ejúsque Canonem scripti primùm fuêre, ut fortè Sapientia, et Ecclesiastici Codices, ne quidquam de Machabæorum duobus libris dicamus, ut potè quos longò post memoratum Canonem Esdrinum exaratos fuisse constat; ab ipso Esdrâ seu Synagogâ Magnâ non fuerint inter Canonicos recensiti, siquidem nondum extabant.

Deinde quantum ad libros Tobiæ, et Judith, his est inter eruditos, utrum ante Esdram, an verò primùm postàa conscripti fuerint. Sed quidquid sit hac de re, omninò exploratum habemus, idque testificatur Josephus*, Tobia, Judith, Sapientia, Ecclesiastici, duosque Machabæo-

* lib. 1. cont. Appion.

rum libros magnô apud ipsos Hebræos in pretiô 93. 97.
fuisse; et quamvis nudum de ipsis Decretum à Synagogâ Magnâ latum fuisset, nihilominus inter agiographa, seu Scriptiones sacras ab ipsis fuisse repositos, necnon ab Hellenistis, seu Hebræis Græcâ linguâ utentibus Versioni Septuaginta Interpretum additos, à quibus ipsa Ecclesia Christi eosdem accepit.

Hos etiam libros tanquam Scripturam divinam, tum in Epistolis S. Clementis, et S. Barnabæ; tum apud Justinum, et Irenæum; tum à Clemente Alexandrinô, Tertulliano, et S. Cypriano indiscriminatim citatos reperimus; ut et ab Origene*.

Quod Baruch librum attinet, idèo à Judæis in Canonem non refertur, quod, cùm in Canonem non recipiant nisi eos libros, qui hebraïcè Scripti sunt, istum, utpotè qui, quamvis primò hebraïcè exaratus fuisse credatur, græcè tantùm superest, excludant. Id etiam multorum consuetudine evenit, qui inter Jeremiæ Scriptiones, et non separatim eum collocabant; unde veteres Ecclesiæ tabulæ ejus, expressô nomine, non meminerunt, eo quòd sub Jeremiæ nomine comprehenderetur; hæc que consuetudo à primâ Ecclesiæ ætate prodita à vetustis Patribus servata est. Sancti quippe Patres Irenæus, Cyprianus, Clemens Alexandrinus, Eusebius, Ambrosius, Julius Firmicus, Augustinus, Basilius, Chrysostomus, Epiphanius, et alii complures in suis Scriptis Prophetiam Baruch velut Scripturam Sacram sub Jeremiæ nomine laudant.

* lib. 3. cont. Cels. Item Hom. 19. in Jerem. Et Tract. 3. in Joann. Item lib. 8. in Epist. ad Rom. Item Hom. 8. in Num. Denique apud Anut. Diction. Voivult.

S' 45

Quantùm verò ad illos Novi Testamenti libros, quos Ecclesiæ nostræ Adversarii rejiciunt, certum est, Epistolam S. Pauli ad Hebræos à Veteribus tanquam divinam Scripturam fuisse habitam. Ipse Clemens Romanus multas ex eâ sententias transfert in suam ad Corinthios Epistolam, quem ex Hebræo idem in Græcum vertisse censet Eusebius, qui et idius auctorem fuisse Paulum innuit*.

* lib. 3. Hist. c. 32.

Origenes eam à Majoribus Paulo adscriptam fuisse ait*, illiusque sententias Pauli, dictionem verò et compositionem esse alterius, qui videlicet Apostoli dictata exceperit, et in litteras retulerit.

* lib. 5. in Joan.

Idius etiam meminit Tertullianus, sed eam Barnabæ vindicat*.

* De pudicit. c. 20.

Clemens quoque Alexandrinus eam Paulo adjudicare videtur, utpotè quam à Paulo dictatam excepisse suam dicat*.

* lib. Hypotypos. apud Euseb. l. 5. Hist. c. 38.

Hieronymus ad Dardanum scribens, ait, non solùm ab Ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retrò Ecclesiis ut Germanum Pauli fœtum fuisse admissam; quæ, quamvis à Latinis in Canonem suâ ætate nondum relata esset, se tamen Veterum Scriptorum auctoritatem sequi, neglectâ temporis sui consuetudine. Epistolâ quoque ad Evagrium recipi eam, ait, ab omnibus Græcis, et à nonnullis Latinis.

A Latinis verò in Ecclesiâ legi solitam non fuisse tradit Philastrius*, quòd ab Hæreticis depravata, et additamentis quibusdam fuisset inquinata.

* Hæres. 88.

Et verò Pauli eam esse demonstrari ex eo videtur, quòd in ea Timothei meminerit Apostolus, eumque fratrem, ut in aliis Epistolis appellet*.

* Heb. 13. v. 23.

Jacobi Epistolam inter Canonicas recensuit Clemens Alexandrinus in libris Hypotyposeon apud Eusebium*. 95.

* lib. 2. Hist. c. 23. et 25. Item lib. 6. c. 14.

Ejus verba non semel usurpat Tertullianus advers. Jud. c. 2. et l. De orat. c. 8.

Idius patrocinium sibi arrisit S. Cyprianus, advers. Novat.

Arrisit et Origenes Cypriano et Eusebio antiquior; idemque Novi Testamenti Scriptores enumerans, Jacobum haud quaquam praetermittit*.

* Hom. 13. in Genes. Et Hom. 7. in Joan.

Nec etiam eam praetermittunt Autor Synopsis Sacrorum Librorum, et Gregorius Nazianzenus in Carmine de libris Canonicis.

Eandem Epistolam, licet initio controversam, procedente tempore auctoritatem obtinuisse Hieronymus asseverat*.

* De Script. Eccles. in Jacobo.

Petri Secundam ei indubitanter adscribunt Origenes, Hom. 5. in Joan. et Hom. 13. in Genes. item Hom. 7. in Josue. Eusebius, lib. 3. Hist. c. 25. et Hieronymus, de Script. Eccles. in Petro. Merito quidem, quippe quod in monte Sancto se Christo adfuisse dicat idius Autor c. 1. v. 17. Et Paulum charissimum suum fratrem appellet, séque jam priorem Epistolam scripsisse significet, c. 3. v. 1. et 15.

Eam etiam inter Catholicas Epistolas collocavit Clemens Alexandrinus lib. Hypot. necnon Autor Synopsis, et Gregorius Nazianzenus in Carm.

Joannis Secundam et tertiam Epistolas inter Canonicos libros recenset Origenes, ut et Clemens Alexandrinus apud Eusebium*.

* lib. 6. Hist. c. 14.

Dionysius Alexandrinus tertiam Joanni Apostolo vindicat, sed hac brevior est, quam ut ei diutius immoremur; satis est,

quod Sexentos Scriptores anni sequentes tulerint, qui illam eidem Apostolo absque hæsitatione tribuerunt.

Epistolam Judæ Apostoli Sacris et Canonicis Scripturis adnumerat Origenes, Hom. 13. in Genes. et in Jos. et in Matth. Eisverbis se defendunt Tertullianus, de Habit. Mul. c. 3. et Cyprianus, Advers. Novat. Eandem Canonicorum Librorum Catalogo intexuerunt Clemens Alexandrinus, in lib. Hypotyp. Autor Synopsis, Gregorius Nazianzenus, in Carm. Eusebiusque lib. 2. Hist. c. 23. et 24. et lib. 3. c. 15. necnon Hieronymus*, eam divinis Scripturis adjungunt.

* De Script. Eccl. in Juda, et in c. 5. Ep. ad Tit.

Apocalypsim Joanni Apostolo tribuit Justinus, in Dialog. cum Tryphone. Eamque illius esse affirmat Irenæus, qui et vicinus fuisse suâ ætate hoc Opus testatur, et suâ pene memoriâ, sub finem nempe Imperii Domitiani, visa esse Joanni, quæ in Apocalypsi memorantur*.

* lib. 4. c. 37. et 50. Item lib. 5. c. 30.

Idipsum de Apocalypsis Autore persuasum fuit Tertulliano, Adv. Marcion. lib. 3. c. 14. et lib. 4. c. 5. Clementi Alexandrino, apud Euseb. lib. 4. Hist. c. 23. Apollonio, adv. Cataphryg. apud eundem Euseb. lib. 5. Hist. c. 18. Et Origeni, In Matth. et in Joan. item apud Euseb. lib. 4. Hist. c. 25.

Ex his, et aliis quamplurimis testimoniis, quæ brevitatis studio prætermittimus, liquidò constat, quàm immeritò Adversarii nostri contendant, Ecclesiam, cùm hos libros Scripturæ in Canonem retulit, non fuisse secutam Traditionem. Quin potiùs omninò dicendum est, eosdem libros Ecclesiæ ab Apostolis traditos fuisse ut divinos; abiisque celeberrimæ cùm Orientis, tùm Occidentis Ecclesiæ, ut Alexandrina, Africana, ac præsertim Romana eos ut divinos non semper habuis-

sent, nec ab Innocentio Papâ, nec à Conciliis 97.
in Canonem fuissent relati; siquidem Ecclesia non potest aliud credendum fidelibus proponere praeter id, quod ab Apostolis fuit acceptum, et traditum.

Ad testimonia Patrum, quae pro hâ 62.
opinione adducunt Adversarii, respondemus; mirum non esse, si eos Scripturae libros, de quibus nondum erat unanimis Ecclesiarum sententia inter Canonicos non recensuerint aliqui Veteres: at posteà verò, cùm omnibus demum Ecclesiis patefacta est antiquissima celeberrimarum Ecclesiarum, et inprimis Romanae Ecclesiae traditio, quâ constabat, eosdem libros, de quibus à nonnullis dubitabatur, ut divinos ab Apostolis fuisse acceptos partim, partim verò scriptos, tum illos pro Canonicis habere coegit Ecclesia universa. Qua responsione videtur abundè satisfieri iis, quae ex Veteribus quibusdam objiciunt Adversarii.

Nam 1°. Ex eo, quod Melito Judaeorum Canonem, in quo viginti duo tantùm libri Veteris Testamenti recensebantur, secutus fuerit, nihil aliud inde colligi potest, nisi, quod nondum uno Ecclesiarum consensu pro Canonicis habiti fuerint ii, de quibus agitur, libri.

Origenes verò, etsi citatis locis, ubi tanquam Historicus loquitur, illorum Veteris Testamenti librorum, quos Ecclesia Judaeorum Canoni adjecit; ut et Epistolarum Judae, et Jacobi non meminerit, meminit tamen alibi, hosque libros tanquam Scripturam sacram divinosque codices habuit, prout primùm ostendimus.

Ad testimonia Concilii Laodiceni, pos- 63.
terioris Apostolorum Canonis, Auctoris Synopseos, Gregorii Nazianzeni, seu Amphilochii, et aliorum eadem responsdemus, quae ad Melito-

nis auctoritatem reposuimus. Certè S. Athanasius, cui Synopsis adscribitur, plura loca è libris Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Epistolæ S. Jacobi, et Apocalypsis, tanquam divinis, et Canonicis passim in suis Scriptis citat, ut patet ex indice locorum Scripturæ Sacræ, qui reperitur ad calcem Tom. 2. et 3. Edit. Benedictin. Parisiens. Hosque libros tanquam divinos publicè in Ecclesiâ legisse Alexandrinam Ecclesiam, testis est Origenes, Hom. 24. in Num.

Sanctus quoque Hilarius; ipseque Hieronymus, qui librum Judith in Prologo Galeato inter Canonicos non recenset, nihilominus Præfat. ad librum Judith asserit, quòd Nicæna Synodus librum hunc inter Scripturas Canonicas computarit.

Sanctus autem Augustinus ait*, Machabæorum libros, quamvis in Canone Judæorum non continentur, tamen ab Ecclesiâ pro Canonicis haberi. Similiter S. Joannes Damascenus ambos Machabæorum libros citat, et eorumdem auctoritate nititur*.

* lib. 18. de civ. c. 36.

* De precib. pro mort.

64. Ob. 2do. Si ad Ecclesiam pertinet determinatio Canonis librorum Sacrorum, tunc etiam ad eam pertinet judicare de Scripturis ipsis. Atqui hoc est absurdum. Ergo &c. Maj. est aperta. Min. prob. Si Ecclesia judicat de Scripturis, sequitur, eam esse supra Scripturam, majoremque idâ habere auctoritatem. Atqui hoc est falsissimum. Ergo &c.

Resp. neg. min. jm. Arg. ad illius prob. neg. ~~min~~ causalem Majoris. Duobus modis intelligi potest, Ecclesiam judicare de Scripturis. 1o ita ut judicet an vera vel falsa sint, quæ Sacris libris continentur. Quod si ita de Scripturis pronuntiaret Ecclesia, ipsis profectò superior supponeretur: at non ita est, enimverò tanquam certissimum, et indubitatum habet Ecclesia, vera esse ea, quæ in Scriptu-

ris revelata exprimuntur. Secundò modò 99.
de Sacris Scripturis judicat Ecclesia, cùm Sacros libros à profanis, certos et Canonicos à dubiis et apocryphis discernit: ex quo non sequitur, eam esse Scripturâ superiorem, sed tantùm ipsius judicium esse supra judicia privatorum hominum. Neque Scriptura est verior, aut certior, quia hic ab Ecclesiâ exponitur, sed privatorum sententia est verior, et certior, quando ab Ecclesiâ confirmatur.

Aut fortè licebit Adversariis de certis Scriptura libris judicare, non item Ecclesiæ? Ergo Synagoga ipsa, cùm in Canonem viginti duos tantum libros retulit, se Scripturâ superiorem ostendit? Ergo Veteres, quos sequi testantur Adversarii, Scripturâ superiores fuerunt, cùm modò hos, modò illos libros è Canone expunctos, aut in eum suscipiendos censuerunt? En quàm absurda st Adversariorum objectio.

Caput Sextum. 65.

De Obscuritate S. Scripturæ, et modò eam probè intelligendi. Item de multiplici illius sensu; et cujus sit germanum illius sensum tradere.

Hic statim initiò nobis adversùs nostræ Catholicæ doctrinæ hostes decertandum est. Hi enim apertè tueri videntur Sacram Scripturam claram esse, ita ut, quæ in ea paulò obscuriora fortè videntur loca, ab aliis clarioribus illustrentur, et exponantur; necnon ab iis facilè intelligantur, qui pii, fideles, prædestinatique eam reverenter, et attentè atque sine pravò affectu legunt.

At contrà Catholici omnes contendunt, Scripturam equidem quoad quædam Capita, ut sunt Deum existere, Christum Dominum esse natum, passum, et alia ejusmodi, quæ

846

~~tta~~ nique legenti per se patent, claram esse, attamen plerumque obscuritate involvi. quibus num ponitur

Conclusio Prima.

Scriptura Sacra plerumque est obscura et intellectu difficilis; neque in varios sensus interdum trahi potest.

Prob. Conclusio 1.° Ex S. Scripturâ. Da mihi intellectum, inquit pius utique Propheta David*, et scrutabor legem tuam ..... Revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua. Faciem tuam illumina super servum tuum, et doce me justificationes tuas. Atqui eorum, quæ per se sunt evidentia, aut saltem aliunde exponuntur et illustrantur, intelligentia à Deo non petitur. Ergò p.

* Psal. 118.

Act. 8. Eunuchus Reginæ Æthiopum, vir utique pius, et fidelis, non intelligebat Isaiæ locum, quem legebat sedens in curru suo; interrogatus enim à Philippo: Putas intelligis, quæ legis? respondit: quomodò possum nisi aliquis ostenderit mihi? Ergò p.

Apostoli ipsi multa eorum, quæ à Christo dicebantur, non intelligebant, Matth. 13. v. 36. Item c. 16. v. 11. Luc. 18. v. 34. Item c. 24. v. 29. et Act. 8. v. 31. * Accesserunt ad eum Discipuli ejus dicentes: edisere nobis parabolam Zizaniorum agri p. Ergò p.

* Matth. 13. v. 36.

Denique S. Petrus loquens de Epistolis S. Pauli, In quibus, inquit*, sunt quædam difficilia intellectu p. ubi notandum, ait Bellarminus*, Apostolum non dicere, esse quædam difficilia intellectu indoctis, impiis, et instabilibus, sed difficilia absolutè. Ergò p.

* 2. Pet. c. 3. v. 16.

* lib. 3. de Verb. Dei c. 1.

Præterea multa sunt in Scripturis quæ primâ fronte videntur contraria, et falsa, proindeque difficultatibus plena, et disputationi obnoxia, prout ostendemus, ubi de singulis Scriptura libris agemus. Ergò p.

Prob. 2do ex SS. Patribus. S. Irenæus lib. 2. cont. hæres. c. 28. aliàs 47. postquam in rebus creatis, et naturalibus plurima nos latere dixit, multa etiam in Scripturis obscura esse docet. In Scripturis, inquit, quædam absolvimus secundùm Dei gratiam, quædam autem commendamus Deo ..... ut semper quidem Deus doceat, homo autem semper discat, quæ sunt à Deo. 101. ~~tos.~~ 66.

Origenes, Alii quoque, inquit*, cordatiori scrutando Scripturam intellectum ejus invenire potuerunt, licèt re verâ sit multis locis obscura. * lib. 7. cont. Cels.

De Basilio et Gregorio Nazianzeno hæc scribit Rufinus*: Ambo nobiles, ambo Athenis eruditi, ambo collegæ per annos trecentum ..... solis divinæ Scripturæ voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam non ex propriâ præsumptione, sed ex Majorum Scriptis, et auctoritate sequebantur; quos et ipsos ex Apostolicâ successione intelligendi regulam suscepisse constabat. * lib. ii. Hist. c. 9.

S. Joannes Chrysostomus in illud Joannis*: Scrutamini Scripturas: Non enim, ait, rem in superficie, et in promptu positam effodimus, sed quæ tanquam thesaurus profundè reconditur. Qui enim hujusmodi quærit, nisi summam adhibeat diligentiam, et laborem, nunquam quæsita inveniet. * Hom. 44. in Joan.

QG 49

* Auctor operis imperfecti duas affert rationes cur Scripturæ sint obscuræ: 1o Quia Deus voluit alios esse Magistros, alios discipulos. 2o. Ne si clara esset, non tam esset utilis, quàm contemptibilis. * Hom. 44. in Matth.

S. Ambrosius, Mare, inquit*, est Scriptura divina, habens in se sensus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum. * Ep. 2. aliàs 44. ad Constantium.

S. Hieronymus fatetur*, se Alexandriam pervenisse, ut à Dydimo, quæ in Scripturis labebat dubia, sciscitaretur. Et * Præfat. Comment. in Ep. ad Ephes. q. 8.

a * quæst. 8. Epistolâ ad Algaziam*, Omnis, inquit, Epistola ad Romanos nimiis obscuritatibus involuta est.

Denique, ut alios quamplurimos omittamus, S. Augustinus hæc de Scripturæ sacræ obscuritate eloquitur*: Multis, et multiplicibus obscuritatibus, et ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt, aliud pro alio sentientes; quibusdam autem locis, quid vel falsò suspicentur, non inveniunt, ita obscurè quædam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum provisum divinitùs esse non dubito ad domandam labore superbiam, et intellectum à fastidiò revocandum, cui facilè investigata plerumque vilescunt. Et Ep. 3. Tanta, inquit, est Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidiè proficerem, si eas solas ab ineunte pueritiâ usque ad decrepitam senectutem maximô otiô, summô studiô, meliore studiô conarer addiscere. Et Epist. 119. c. 21. In ipsis sanctis Scripturis multò plura nescio, quàm scio. Denique lib. de fide et operib.* c. 15. et 16. fatetur sibi difficillimum esse intellectu locum illum 1. Cor. 3. Si quis autem superædificat super fundamentum &c. aitque, hunc esse unum ex illis locis, quos Beatus Petrus nonnit esse difficilia intellectu.

b * lib. 2. de Doct. Chr. c. 6.

67. Prob. 3tio Ratione Theologicâ. In S. Scripturâ duo considerari possunt, res nempè et modus, quibus illæ exprimuntur. Atqui secundùm utrumque Scriptura est obscura. Ergo &c.

Prob. min. 1o quantùm ad primum res, quas tradit Scriptura sunt summa mysteria de Trinitate Divinâ, de Incarnatione Verbi, de Sacramentis cœlestibus, de natura Angelorum, de operatione Dei in mentibus humanis, de æternâ prædestinatione, ac reprobatione, déque alìs arcanis et super-

naturalibus rebus, quæ non sine magnô Studiô et labore, nec sine gravissimô erroris periculô investigantur; Imò magna pars Scripturæ vaticinia continet de rebus futuris, et vaticinia carmine scripta, quibus certè nihil difficilius, nihil obscurius. Ergo p. 103. ~~104.~~

Prob. 2do quoad 2dum idem, modum quo res in Sacrâ Scripturâ exprimuntur. 1o In illâ plurima sunt, quæ primâ fronte videntur contraria; prout patebit, ubi de singulis Scripturæ libris agemus. 2o continet multa verba, et orationes ambiguas. 3o Orationes imperfectas. 4o Præposteras. 5o Phrases Hebraïs proprias. 6o Orationes plurimas figuratas, Tropos, Metaphoras, Allegorias, Hyperbata, Ironias, et alia id genus sine numerô prout legenti eam patet. Atqui hæc omnia obscuritatem præ se ferunt. Ergò p.

Confirmatur. Ides Metaphysica difficilior, et obscurior est omnibus aliis naturalibus disciplinis, quia causas altissimas tractat. Atqui Sacra Scriptura de rebus longè altioribus agit. Ergò et ipsâ Metaphysicâ obscurior, et intellectu longè difficilior esse dignoscitur. 68.

Denique suffragatur unanimis Sacræ Scripturæ Interpretum tam Catholicorum, quàm Acatholicorum sententia. Si enim adeò clara est Scriptura, ad quid tot illius interpretationes et Commentaria? Unde inter ipsos Acatholicos tantâ circa nonnulla Scripturæ loca exponenda dissensio? Numerantur apud ipsos, ut ~~[illegible]~~ cætera taceamus, octoginta clarorum apud nos 69. 2da pag 80.

Catholicos istorum Christi verborum, Hoc est Corpus meum varia interpretationes. Clara ista verba videntur Luthero, et ipsius Sectatoribus ad stabiliendam realem, et substantialem Christi in Eucharistiâ præsentiam. Ex adversò clara videntur Calvino, et illius discipulis, ad eam rejiciendam, et solam virtutis præsentiam comprobandam. Quis litem hanc inter illos componet? Scriptura fortè? at de illius sensu controvertitur, et quisque eam ad se inflectere nititur. Igitur infinita propemodùm Scripturæ Interpretum volumina, et de illius sensu in plerimis locis inter Adversarios ipsos excitata discordia totidem sunt aperta obscuritatis illius argumenta.

70. Nec valet, quòd adversarii hac miserâ ratione sibi videantur posse clabi, ut scilicet eam claritatem iis saltem Scripturæ locis tribui velint, quibus, ut ajunt, Fidei Capitales Articuli continentur. Nam de ipsis etiamnum est controversia, quam prætensa hæc Scripturæ claritas nondum definire potuit. Et verò, an non unitas essentiæ in tribus distinctis personis; Divinitas Christi; Substantialis, et hypostatica Divinitatis cum humanitate conjunctio, p. sunt articuli capitales, seu fundamentales fidei nostræ? Attamen non ita clarè ac nitidè in Scripturis contineri visi sunt Arianis, Sabellianis, Nestorianis, Socinianis, quin ab iis protervè impugnati fuerint.

Ubi etiam in Scripturis expressè et clarè definitum, validum esse Baptismum ab Hæreticis collatum, nec licere idem reiterare? Ubi, inquam, clarè expri-

nitur, Patrem esse ingenitum? Patrem 105. ~~109~~.
inquit S. Augustinus*, in illis libris nunquam
ingenitum legimus, et tamen dicendum
esse defenditur. Ergò patet Scripturam
Sacram esse obscuram.

* Epist. 238. alias 174. n. 6.

Originem verò et causam obscuritatis S. Scriptura hanc esse ajunt SS. Patres, 71
quòd nempe sublimiora sint, quæ continet, mysteria, quàm ut humana mens ea attingere possit. Quòd nimia sit hominum corruptio, et infirmitas, quàm ut ~~humana mens~~ ea mysteria assequi ~~possit~~, et intellectu percipere possint: Animalisque ipse homo non percipit ea, quæ sunt Spiritûs Dei, inquit Apostolus*. Quod denique ipse Scripturarum loquendi modus sit obscurus, figuratus, et ambiguus.

* 1. Cor. c. 2. v. 14.

Porrò ad Scripturam probè intelligendam, seu, quod ad idem redit, ad genuinum ejus sensum eruendum hæ præcipuè servandæ sunt regulæ juxtà SS. Patres. 1°. Conferri debet cum Doctrinâ fidei, et morum. 2°. Conferri debet cum locô, tempore, et scopô personæ scribentis; personarum mutatio, et maximè in Prophetis difficilem intellectum facit, quæ si suis locis, causis, et temporibus reddantur, plana fient, quæ videbantur obscura. 3°. conferri debet Scriptura cum Scripturâ, sive Codex cum Codice, textus cum textu, id est, textus antecedentium et consequentium Scripturæ locorum cum locô dubiô, cujus genuinus, et à Spiritu Sanctô intentus quæritur sensus; si enim 72.

antecedentes, et consequentes textus cum eo conveniant, litteralis, et genuinus habebitur sensus. 4.° Conferri debet Sacra Scriptura cum Sanctorum Patrum sententiis; multum enim juvat ad genuinum attingendum Scripturæ sensum Sanctorum Patrum sententia; ad idam quippe respicere, et idâ in suis definitionibus uti solet Ecclesia: Unde in Conciliis fermè semper conclamatum, Hæc est fides Patrum: Ipsi quippe velut fidei nostræ depositarii, adeoque et ipsius Scripturæ sensûs semper habiti sunt. 5.° Denique, Conferri debet Scriptura cum Ecclesiæ judiciô: hæc namque regula est omnium præcipua, quâ genuinus Scripturæ sensus discernitur, et eruitur. Ecclesia enim infallibili pollet auctoritate verum tradendi Scripturarum sensum, prout mox demonstrabimus.

3tia pag 52

Hæ igitur sunt præcipuæ regulæ pro discernendô verô divinæ Scripturæ sensu, quæ tamen omninò inutiles evadent, nisi iis jungantur 1.° fides, quia nisi credideritis, non intelligetis, inquit Isaias*. 2.° Humilitas, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Et, Ubi humilitas, ibi sapientia*. Ipsêque Dominus: Confiteor tibi Pater, inquit*, quia abscondisti hæc à sapientibus, et revelasti ea parvulis. 3.° Conscientia puritas, quia in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore

* c. 7. v. 9.
* Jacobi c. 4. v. 8.
* Prov. 11. v. 2.
* Matth. 11. v. 25.

subditò peccatis*. 4to Oratio, quia 107.
non tam à libris, quàm à Deo Patre lumi-
num, et Scientiarum petenda est Scientia;
Da mihi intellectum, et scrutabor legem tu-
am: revela oculos meos, et considerabo mira-
bilia de lege tuâ, inquit Psalmista*. Un-
de S. Augustinus, Non solùm, inquit*, ad-
monendi sunt studiosi litterarum venera-
bilium, ut in Scripturis Sanctis genera loqu-
tionum sciant..... Verùm, quod est præci-
puum, et maximè necessarium, orent, ut in-
telligant 5to Assidua denique
divinæ Scripturæ lectio: Scrutamini Scrip-
turas, inquit ipse Christus*. Et Josue
c. 1. v. 8. Non recedat volumen legis hujus ab ore
tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus.
Attendite lectioni, inquit S. Paulus ad Timo-
theum c. 4. v. 13. exhortationi, et doctrinæ.
Et S. Hieronymus*, Tenenti codicem /: Scrip-
turæ sacræ :/ somnus obrepat, et cadentem
faciem pagina sancta suscipiat.

* Sap. 1. v. 4.
* Psal. 118. v. 18. et 34.
* Lib. 2. de Doct. Chr. c. 37.
* Joan. 5. v. 39.
* Ad Eustochium.

His de sensu S. Scripturæ probè intel- 73.
ligendò ita prælibatis, quotuplex ille sit,
modò exponendum.

Ac 1.o quidem generali divisione
sensus S. Scripturæ dividitur in verum, et
accommodatitium. Ille est, quem Deus
in Scripturis loquens mediatè vel immedia-
tè intendit, seu est id, quod Spiritus
Sanctus vult nobis per Scripturæ verba si-
gnificare. Iste verò, qui Scripturæ ver-
bis nec mediatè nec immediatè significa-
tus ad aliquid aliud simile applicatur;
quod passim apud S. Bernardum videre
est. Sic etiam Ecclesia in Breviario
illud Ecclesiastici de Noë prædicatum*,
Inventus est justus, et in tempore iraum-
diæ factus est reconciliatio, cuilibet Sancto
Confessori Pontifici adaptat. Imò

* c. 44. v. 17.

nonnulli Commentatores contendunt, Novi Testamenti Scriptores Veteris Testamenti textibus per accommodationem aliquando uti; idque probare conantur ex Matth. c. 2. ubi, inquiunt, per accommodationem laudantur hæc verba Osea c. 11. Ex Ægyptô vocavi filium meum: et hæc alia, Vox in Rama audita est &c ex Jeremia c. 31. Item ita, Aperiam in parabolis os meum, quæ laudantur Matth. 13. ex Psal. 77.

Verùm id absolutè non concedimus, enimverò quæcunque in Novô Testamentô scripta sunt, ea mediatè vel immediatè intendit Spiritus Sanctus, sive Deûm ex Veteri Testamentô illuc sint transcripta necne, quamvis per adaptationem ibi posita dignoscantur.

Ut verò sensus accommodatitius liceatè Scripturis adaptari possit, hæc præcipuè requiruntur, 1.º ut ad res pias applicetur; scelus quippe est, Scripturas transferre ad vitia, prophana, aliaque ejusmodi; mandatque Synodus Tridentina Sess. 4. ut omnes hujus generis homines, temeratores, et violatores Verbi Dei, juris, et arbitrii pœnis per Episcopos puniantur. 2.º requiritur, ut sensus iste non proferatur tanquam litteralis, aut mysticus. Adversùs ilos, qui sub hâc ratione sensum accommodatitium proferunt, graviter invehitur S. Hieronymus, Epist. ad Paulin. 3.º

24a
pag 52

Ut litteralis, aut mysticus sensus non tradatur velut accommodatitius. Peccavit in hoc Theodorus Mopsuestenus, qui ea omnia, quæ in Veteri testamentô de Christô, ejusque mysteriis prædicta sunt, de eo secundum rei eventum, accommodatitiè minimùm interpretabatur: sic hæc Psalmistæ verba, Non derelinques animam

meam in inferno contendebat, prædicta esse de populo Israëlitico, non de Christo, ad quem nihilominus inquiebat, propter rei eventum, hoc est, propter Christi resurrectionem Petrus Act. 2. ea per sensum accommodatitium transtulit. 4.to Denique requiritur, ut Scripturis sensus falsus per accommodationem non tribuatur. Contra hanc regulam peccabant Montanistæ tribuentes Montano, quæ Scriptura Paraclito tribuit. Hæ si observentur regulæ, et conditiones, tutè hujusmodi sensus Scripturæ tribui potest, non quidem, ut eo, tanquam firmo argumento, fidei et morum dogmata probentur, quippe qui à Spiritu Sancto nec mediatè nec immediatè roveniat. Hæc de sensu accommodatitio S. Scripturæ. 109. 115.

Verus autem Scripturæ sensus generaliter in divisione distinguitur in Grammaticalem, Litteralem, et Mysticum. 74.

Grammaticalis est ille, qui legentibus ultro se primum, sòlque inspectò vocum sono ingerit: ita, cùm Deum pœnitentiâ, atque irâ tangi, cùm illum ascendere, descendere, oculos et aures intendere legimus, sensus Grammaticalis Deum corpore constantem, et humanis affectibus obnoxium innuere videtur; verùm cùm Deum humanis hisce non detineri, fide docente, teneamus; hinc sensum Grammaticalem in his rejiciendum intelligimus.

Litteralis, qui etiam historicus, et externus dicitur, ille est, quem historia, res gestæ, et verba Scripturæ immediatè significant. Sic cùm legimus Abraham duxisse Agar ancillam suam, subindè

eam dimisisse; natum ex Sarâ Isaac, eúmque circumcisione initiatum; hæc omnia litterali, et historicô sensu nihil aliud significant, quàm quod ipsa historia exprimit; connubium nempe Abrahami cum Agar, Ortum Isaac &c.

Mysticus, seu Spiritualis Scripturæ sensus est ille, qui non per verba ipsa, sed per rem verbis significatam nobis à Spiritu Sanctô notatus est. Sic, quæ ad litteram dicuntur de egressu Judæorum ex Ægyptô, de transitu maris rubri, de manna, de aquâ, quæ fluxit ex petrâ &c. mysticè, seu Spiritualiter referuntur ad Baptismum, ad Redemptionem Christianorum, ad Eucharistiam, ad bona, quæ reperiuntur in Ecclesiâ Christi.

Sensus Mysticus, seu Spiritualis subdividitur in Allegoricum, seu figuratum; Anagogicum seu congruentem, et Tropologicum seu Moralem.

Allegoricus indicat ea, quæ ad fidem, et Ecclesiam militantem pertinent: Sic connubium Abrahæ cum Agar ancillâ suâ, quod postmodum eâ propter suum filiúque sui crimen è domô pulsâ solutum est, allegoricô sensu Synagogam designat, quæ nonnisi manipii lorô habita tandem criminum suorum meritô reprobata est: Sara autem legitima et libera Abrahæ uxor Ecclesiam, quæ Christi Sponsa est; Isaac populum electum, seu Christianum designat.

Sensus Anagogicus, seu Congruens est ille, quô quædam Scripturæ phrases ad vitam, et felicitatem æternam traducuntur. Sic Sabbatum, sive quies à Deô Hebræis injuncta aptissimè signifi-

cat Sanctorum æternam in cœlo requiem. iii. ~~iii.~~,
Sic etiam ingressus Israëlitarum in terram promissionis sensu mystico congruè de aditu electorum in terram viventium, cœlum nempe, intelligitur.

Sensus Tropologicus seu Moralis est ille, qui regulas morum rectè instituendorum ex historiâ atque contextu Scripturæ profert. Sic ex verbis Deuteron. 25. v. 4. Non alligabis os bovi trituranti, alendos esse veritatis prædicatores rectissimè infert Apostolus 1. Cor. 9. v. 10.

Sensus ergo Litteralis res gestas, et historiam; Allegoricus res fide certas; Anagogicus, quæ ad felicitatem æternam spectant; Tropologicus verò morum regulas respicit, juxta notos versiculos:

Littera gesta docet; quid credas, Allegoria;
Moralis, quid agas; quò tendas, Anagogia.

Hos omnes quinque S. Scripturæ sensus, videlicet Grammaticalem, Litteralem, Allegoricum, Anagogicum, et Tropologicum, unica voce Jerusalem præ se ferre videtur, nam juxta Grammaticalem significationem sonat Visionem pacis; litterali sensu est Judæa Metropolis; Allegoricè militans Ecclesia; Anagogicè Ecclesia triumphans; Tropologicè autem Anima justi, cujus Jerusalem aptissimus typus est.

Multiplex iste Sacræ Scripturæ sensus etiam manifestæ rationis locò esse potest, eam non ita claram esse, ac pertendunt Adversarii nostri, quin potiùs multis obscuritatibus involvi, nostrisque idèò argumentis, quibus id probavimus, stare suam firmitatem.

112.
~~110.~~ Qua ratione autem hac Sacra Scriptura obscuritas tollit, atque genuinus illius sensus haberi possit, paulò ante statutis regulis indicavimus, quarum praecipuam esse Ecclesiae judicium ibidem quoque significavimus, utpotè, quae infallibili pollet auctoritate, verum ac genuinum Sacrarum Scripturarum sensum tradendi; cui aperto cùm, licèt immeritò, obstrepent adversarii nostri, hinc illud hic paulò fusiùs stabilire operae pretium duximus, etti, quia cum iis prorsus coincidat, quae praecedenti capite circa auctoritatem Ecclesiae in determinando earundem Sacrarum Scripturarum canone disseruimus, et probavimus, sufficienter per illa stabilitum non ineptè arbitramur, nihilominus pro majori rei claritate et robore sit

75. Conclusio Secunda.

Ecclesia est Judex infallibilis germani ac genuini Sacrae Scripturae sensûs.

Prob. Conclusio, iisdem prorsus argumentis, tùm ex Sacra Scripturâ tùm ex Sanctis Patribus tùm ex ratione petitis, quibus cap. praecedenti ostendimus, quòd ad Ecclesiam pertineat determinatio et definitio Canonis Sacrarum Scripturarum; quippe ex quibus aperte deducitur, ad eam quoque pertinere, sensum earundem determinare, definire, ac judicare; enimverò praecipuè ex divinò duntaxat Sacrorum Librorum sensu Ecclesia eorundem Canonem repetiit. Quibus porò argumentis hoc addimus. Igitur

Prob. Conclusio 1.° Ex S. Scriptura. Ex Veteri Testamento. Aggaei 2. v. 12. Hisce Dominus populum suum

compellat: Interroga Sacerdotes legem. j.13. 47.
Ergo lex Sacra, idiúsque sensus à Sacerdotibus, seu Ecclesiæ Principibus, adéque ab Ecclesiâ est requirendus.

Ex Novo. Act. 20. Attendite vobis, inquit Apostolus, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Atqui ad eos tantum spectat jus tradendi germanum sensum Scripturæ Sacræ, quibus convenit jus docendi, et regendi populos: nam in jure docendi ac regendi continetur jus Scripturas explicandi. Ergo jus istud ad Episcopos, seu Ecclesiam pertinet.

Prob. 2.do Ex praxi et consuetudine Ecclesiæ, quæ controversias circa S. Scripturæ sensum exortas ultimatò semper definivit judicò, et qui illius definitioni acquiescere renuerunt, tanquam hæretici perpetuò habiti fuêre, prout innumera penè exempla nobis subministrat Historia Ecclesiastica, ad quam, temporis angustiæ parcere volentes, adversarios nostros remittimus, ubi argumenti nostri veritatem invenient. Atqui id Ecclesia non potuisset, si ad ipsam non pertineret, verum et germanum S. Scripturæ sensum tradere, et definire, ut potest. Ergo &c. 76.

Prob. 3.tio Ex SS. Patribus, qui id ipsum uno ore fatentur. j.o S. Irenæus, Non oportet, inquit*, adhuc quærere apud alios veritatem, quam facilè est ab Ecclesiâ sumere, cùm Apostoli quasi in dives depositorium plenissimè contulerint om- 77.

* lib. 3. adv. hæres. c. 4.

Cita pagg 4

nia, quæ sunt veritatis..... Propter quod oportet..... quæ est Ecclesia, cum summâ diligentiâ diligere, et apprehendere veritatis traditionem. Ergo juxta S. Irenæum apud Ecclesiam quærenda est S. Scripturæ Sensûs veritas, illiusque traditio.

4 * De præscript. 2°. Ante ipsum Tertullianus docuit*, Non debere cum hæreticis disputari ex Scripturis: quia cùm possessio et intelligentia vera Scripturarum sit Ecclesiæ Catholicæ, prius debet constare quæ sit vera doctrina Ecclesiæ, et tunc ex illâ intelligendæ Scripturæ.

2 * lib. i. cont. Gesion. c. 32. 3°. S. Augustinus, Scripturarum, inquit*, etiam a nobis tenetur veritas, cum hoc faciamus, quod universæ jam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum Scripturarum commendat auctoritas. Item,

a * cont. Epist. fund. c. 5. Ego verò, inquit*, Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret auctoritas.

6 * In Commonit. 4°. Vimentius Lirinensis, Quia, inquit*, Scripturam Sacram pro ipsâ sui altitudine non uno eodemque sensu omnes accipiunt, sed eadem eloquia aliter atque aliter alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot idii sententiæ erui posse videantur. atque idcirò multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut Prophetica, et Apostolica interpretationis linea Secundùm Ecclesiastici et Catholici sensûs normam dirigatur, p. idest, ut ipse ibidem apertè ostendit, Secundùm normam Sensûs Ecclesiæ Catholicæ.

Prob. Denique Rationibus theologicis. 1.º Prævidit Deus, multas in Ecclesiâ exorituras difficultates, et controversias circa fidem, adeoque circa Scripturarum sensum, utpotè undè vera fidei capita eruuntur. Ergo debuit Judicem aliquem providere Ecclesiæ suæ, qui ultimatò et infallibili judiciò eas controversias finiret, verùmque ac germanum Scripturæ sensum aperiret. Atqui talis Judex est Ecclesia; quippe quæ est columna et firmamentum veritatis, et cui Christus usque ad finem mundi se adfuturum, et adversùs quam inferi portas unquam prævalituras esse promisit. Ergo p. 115. ~~119~~ 78.

2.º Si non esset aliqua externa auctoritas, nempe Ecclesia, quæ posset tradere certum Scripturarum sensum, tunc Deus videretur malè consulusse electorum saluti. Atqui hoc dicere est impium. Ergo p. Ob. Sequela Maj. 1.º Ex electis plures sunt, qui Scripturarum sensum examinare non valent, aut præ linguarum imperitiâ, aut præ mentis hebetudine. 2.º Ex electis nonnulli sunt, qui adhuc in hæresi degunt. Atqui hi converti non possent ex defectu auctoritatis cujusdam externæ, à qua fidei doctrinam sacrâ Scripturâ contentam acciperent. Ergò necessaria est hujusmodi auctoritas, à qua Scripturæ sensum accipiant. Hæc autem auctoritas in solâ Ecclesiâ residet p.

3.º In judiciis profanis et secularibus necessarius est Judex vivus, qui ex Lege ejusque sensu à se expositò

inter litigantes sententiam ferat, cui illi acquiescere tenentur. Ergo etiam multò fortiori ratione, in judiciis Ecclesiasticis fidémque spectantibus, necessarius est vivus Judex, qui Scripturæ, quâ fides continetur, sensum explanet, atque juxtâ illum sententiam inter litigantes pronuntiet, cui illi acquiescere tenentur. Subsum. Atqui talis Judex est sola Ecclesia. Ergo p. Certè nullam hîc disparitatem afferre poterunt adversarii. Ergo p.

4°. Prob: argumentô ab ipsis Adversariis subministratô. Calvinistæ ipsi ad auctoritatem plenariæ Synodi Dordracenæ, quæ Ecclesiam, seu potiùs Societatem suam velut exhibebat, confugerunt, ut exortam inter *Arminianos seu Remonstrantes ex unâ parte, et Gomaristas ex alterâ molestam de gratiâ et prædestinatione controversiam, ex variô Scripturæ sensu profectam dirimerent. Quin et in Synodô Alesiensi an. 1620. in Galliis celebratâ decretum est, ut omnes, et singuli juramentô affirmarent, se Statuta Dordracenæ quibus Scripturæ sensus circa gratiam et prædestinationem exponebatur, recipere, ac doctrinam Arminianorum rejicere. Et cap. 5. Disciplinæ Ecclesiasticæ, art. 31. Ubi sermo est de disputationibus, quæ circa doctrinam vel disciplinam Scripturæ sensûs expositione confirmatas oriri possunt, dicitur, quòd, si neque privata monita, neque colloquium, neque Provincialis Synodus finem his controversiis imponere potuerint, ad Synodum Nationalem causa sit remittenda, ut ibi Supremô ac definitivô judiciô fi-

* Arminiani ab Arminiô Universitatis Lugdunensis Batavorum Professore sic dicti, qui cùm doctrinam Calvini de gratiâ et liberô arbitriô omninô improbabilem sensisset, ad doctrinam Ecclesiæ redit, contenditque, dari gratiam universalem omnibus hominibus concessam; atque in hominis potestate et arbitriô semper esse gratiam rejicere, aut eidem consentire p. Eidem obstitit Gomarus, unde Gomarista, atque postea Calvinum, et cum omnibus Calvinistis, dari gratiam particularem solis prædestinatis contendit.

niatur, lege omnibus impositâ, ut Comilii ~~ita~~ Statutis se se subjiciant; sin' verò reluctentur, ejiciantur ab Ecclesiâ. Ergo ipsimet Adversarii nostri Controversias de fide, adeoque de Scripturæ sensu Ecclesiæ committunt, quæ idas definitivô judiciô definiat, Sensúmque Scripturæ circa idas determinet. Ergo sola Ecclesia poldet autoritate Scripturæ sensum determinandi, et definiendi.

117. cessam, necnon decretum positivum tam reprobationis pro aliquibus, quàm prædestinationis pro cæteris. Quam gomari opinionem amplexa est Synodus Dordracena anno 1618. celebrata, atque Arminii doctrinam damnavit. Alio nomine Arminiani Remonstrantes dicti fuêre, barbarâ quidem et è gallicô transumptâ dictione, ob libellum, cui gallicum præfecêre titulum Remontrance, Belgii foederati ordinibus seu Statibus universis ab ipsis oblatum, in quo præcipuos fidei suæ articulos exponebant.

79.

Solvuntur Objectiones Contra primam Conclusionem.

Ob. 1.o Idud Deuteronomii 30. Mandatum, quod ego tibi præcipio hodie, non est supra te, nec procul positum, nec in cœlô situm, neque trans mare p. Atqui hoc textu innuitur facilitas intelligendi Scripturam, quæ hîc mandati nomine designatur. Ergo p.

Resp. neg. min. Locus enim iste non agit de facilitate intelligendi Scripturas, sed de facilitate implendi præcepta Decalogi, quæ Mandati nomine duntaxat intelliguntur, vel ea percipiendi, utpotè naturalia jam cuivis cordi inscripta; et quæ Moyses Judæis jam explicaverat, ipsique se percepisse fassi fuerant, ac observaturos promiserant.

Ob. 2.do Idud Psal. 18. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos. 80.
Et idud Psal. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum. Item idud Prov. 6. Mandatum lucerna est, et Lex lux. Ergo p.

Resp. hîc non agi de universis Scripturis, sed tantum de præceptis do-

~~ita~~ mini, quæ dicuntur luminà, lucerna, et lux, quòd intellecta dirigant hominem in operandò. Vel si de universis Scripturis hac loca intelligi contendas, dicimus, eas esse luminà, imò lucernam et lucem, non quòd facilè intelligantur, sed quòd intellecta mentem illustrent.

81. Ob. 3tio Matth. 5. Vos estis lux mundi, inquit Christus Discipulis suis. Ergo et eorum prædicatio, et Scriptura erunt clarissimæ.

Resp. neg. cons. loquitur hic Christus de luce exemplorum probitatis, et morum, unde statim subdit: Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona. Vel si eum de luce doctrinæ loqui velis, id ita intelligimus, ut Apostolorum Scriptura semel intellecta mentem illustrent, et ab eâ errorum tenebras procul arceant, non quòd ad intelligendum sint faciles.

82. Ob. 4.to Summa totius Scripturæ, quæ in præceptis Decalogi, Symbolò, oratione Dominicâ, et Sacramentis consistit, habet in Scripturis apertissima testimonia. Ergo est apertissima.

Resp. neg. ant. Si enim tam clara essent in Scripturâ testimonia de omnibus e.g. Symboli articulis, et Sacramentis momentò omnes de illis controversiæ finirentur. At non ita est; gravissimæ enim extant controversiæ de Symboli Articulis, ac Ecclesia Sacramentis, non modò Catholicos inter et Acatholicos; sed et hi inter seipsos circa ea dissident. Cæterùm apertum est, Vaticinia Prophetarum, Canticum Canticorum, Apocalypsim, et alia quamplura, quæ Scripturâ Sacrâ continentur, esse obscurissima.

119.
Ob. 5.to Hoc discrimen inter Novum ~~123~~. 83.
et Vetus Testamentum interedit, quòd in
Veteri Scriptura fuerit liber signatus*; In d
Novô autem sit apertus*. Aperuit enim * Isaia c. 29.
agnus ocissus librum, et in e * Apocalyp. 5.
morte Domini velum Templi scissum est. Ergo &c.

Resp. Discrimen utriusque Testamenti in hoc consistit, quòd in Veteri non solùm Sententiæ Scripturarum, sed etiam mysteria Christi non intelligerentur, quia omnia erant tecta figuris; et propterea dicitur Isaia 29. liber signatus tam scienti litteras quàm nescienti. At in Novô Testamentô, quia Christus impleverit figuras, et prophetias; etsi multi non intelligant Sententias Scripturarum, intelligunt tamen ipsa mysteria Redemptionis.

Ob. 6.to S. Augustinus hæc eloquitur*: Magnificè, et salubriter Spiritus 84.
Sanctus ita Scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret, nihil enim ferè de illis obscuritatibus eruit, quod non planissimè dictum alibi reperiatur. Ergo juxta S. Augustinum Scripturæ plerumque sunt claræ, et si quæ in eis obscuriora quædam occurrant loca, ab aliis illustrantur. f * l. 2. de doct. christ. c. 6.

Resp. neg. cons. S. Augustinus hic non loquitur de omnibus Scripturæ locis, addit quippe istud adverbium ferè: nec immeritò, nam quædam reperiuntur in Scripturâ textus obscurissimi, qui per alios nequaquam explicari possunt, ut magna pars Apocalypsis, principium, et finis Ezechielis, &c. Deinde hoc ipsum est difficile, invenire nimirum id, quod uno locô obscurissimè dicitur, ubi eam

170. aperte dicatur: alioqui quomodò diceret idem S. Doctor*, se plura in sacris litteris nescire, quàm scire? Quin etiam, quòd loca illa, quæ uni videntur apertissima, alteri obscura videantur.

g * Ep. iig. c. 21.

89. Ob. 7mo S. Chrysostomus Hom. 3. de Lazaro, postquam ostendit, Philosophos obscurè locutos esse, addit, Apostolos verò et Prophetas omnia manifesta, et clara fecisse, ac exposuisse, ut per se quisque discere possit ea, quæ dicuntur, ex sola lectione. Et Hom. 3. in 2. ad Thessal. ait, omnia clara esse ex Scripturis divinis. Ergo &c.

Resp. Chrysostomum ad exercitandum teporem multorum, qui possent, si vellent, magnò cum fructu Scripturas legere citatis locis uti amplificationibus. Nam alioqui iisdem locis affirmat, Scripturas esse difficiles. Item Hom. 10. in Joan. monet Auditores, ut, antequam ad Conionem veniant, lectionem prælegant, et quæ obscura sunt, notent, ut à Conionatore explicationem accipiant. Denique Hom. 44 in Eundem, clarissimè docet, Scripturas esse obscuras, ut supra adnotavimus.

86. Ob. 8vo Patres probant sententias suas ex Scripturâ; sed non debet probari notius ex minùs notò. Ergo Scripturæ sunt clariores, quàm Commentaria Patrum.

Resp. ~~dictorum~~ Notiorem esse Scripturam Patrum sententiis notitiâ veritatis, quæ videlicet mentem magis ad sui assensum trahat, non verò notitiâ verborum, quæ in perspicuitate sententiarum consistit. Patres ergo sententias suas Scripturarum testimoniis confirmant, quia notius est, verum esse, quod in Scripturis habetur, quàm quod habetur in Patribus, et tamen idem Patres commentariis suis

Pr. 4
57

Scripturas illustrant, quia verba illarum sunt ~~tes~~ 121.
obscuriora, quàm Patrum verba.

Ob. 9.no Patres primitivæ Ecclesiæ sine Commentariis Scripturas legerunt, et idem postèà fecerunt omnes alii Veteres. Ergo et nos easdem sine commentariis legere possumus, adeoque sunt claræ. 87

Resp. neg. ant. Id enim nullo argumentô firmari potest, quin contrarium innumeris penè exemplis demonstrari potest.

Dicimus ergo, primos Patres, qui ipso Apostolorum tempore, vel statim post Apostolos floruerunt, non quidem legisse commentaria, quippe cùm nulla essent; sed tamen adiisse viva commentaria, Apostolos nempe, et eorum Discipulos, nec propriô ingeniô Scripturas intelligere voluisse. Ita de se ipsis testantur inter alios Papias apud Eusebium*, et Clemens Alexandrinus*, lib. i. Strom. Deinde Justinus, et Irenæus coeperunt Commentaria scribere in divinas Litteras, prout refert Hieronymus*; similiter quoque posteriores antiquiorum Scripta evolvere inceperunt, quod de Basiliô et Gregoriô scribit Rufinus*, et de se ipso Hieronymus* Et deinceps multi alii.

* lib. 3. Hist. c. ult.

* de vir. Illust. in Joan.

* lib. ii. Hist. c. 9.

* Præfat. in Com. ad Ephes.

88.

Ob. 10.mo Si Scriptura esset obscura, videretur Deus studiô voluisse deipercho-mines, tali adhibitô loquendi modô, quem fecit, non facilè ab eis intelligi posse. Atqui hoc dicere sapit impietatem, et blasphemiam. Ergò &c.

Resp. 1.o retorq. arg. quoad illas Scripturæ partes, quas ipsimet Adversarii obscuras esse fateri coguntur, ut sunt Prophetiæ, Psalmi, et alia quamplurima Veteri Testamentô contenta, imò illud ferè totum, ut quod nonnisi umbra fuerit, et figura in-

122/120. tuitu Novi. In Novo autem Testamento Parabolæ Evangelicæ, quarum sensus et explicatio non ubique obvia est; et, ut alia prætermittamus, Apocalypsis, quam se non intelligere ultro fassus est Lutherus. Quis autem inde concludat, Deum nos deripere voluisse?

Resp. 2do Deo fuisse liberum, nobis hoc, vel alio modo, magis, vel minus clarè loqui in Scripturis; cujus rei si rationem à nobis expetas, tibi cum Augustino respondebimus, hic totam facti rationem esse potentiam agentis; Deique voluntatem, et sanctissimum beneplacitum adoramus. Duas tamen obscuritatis Scripturarum rationes supra ex auctore Operis imperfecti adnotavimus, quas vide.

Solvuntur Objectiones
Contra secundam Conclusionem.

89. ~~123.~~ Ob. 1o. Illud Isaiæ c. 54. v. 13. Omnes universos filios tuos doctos à Domino. Ad quod referri potest illud Joannis c. 6. v. 45. Erunt omnes docibiles Dei. Ergo quilibet esse potest judex veri ac genuini Scripturæ sensûs.

Resp. neg. cons. Non loquitur hic Isaias, nisi vel de doctrinâ Evangelii, quam Deus ipse, Christus scilicet, prædicavit et docuit, prout hoc loco exponit Cyrillus. Vel de gratiâ Spiritûs sancti, quâ homo movetur, et suaviter impellitur ad credendum, et amandum, ut exponit Augustinus*. Et hoc etiam sensu intelligendus est adductus textus Joannis.

m * lib. de grat. Chr. c. 12. et 13. ac 14. Item Tract. 3. in Ep. S. Joan. n. 13.

90. Ob. 2do Illud Jerem. c. 13. v. 34. Non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum dicens, cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me à minimo eorum usque ad maximum. Paulo ante dixerat Dominus*, Dabo legem meam in visceribus eo-

n * Ibid. v. 33.

rum, et in corde eorum scribam eam, et ero eis in Deum. Ergo. 153. ~~127~~.

Resp. 1.º cum S. Augustino*; iis verbis Dabo legem meam &c. significari gratiam Novi Testamenti, fidem nempe per charitatem operantem, quam Deus diffundit in cordibus nostris, ut non solum sciamus, sed impleamus divina mandata. Iis autem: Et non docebit ultra &c. significari praemium fidei beatitudinem scilicet, in qua omnes electi videbunt Deum facie ad faciem.

* lib. de Spir. et litt. c. 24.

2. 58

Resp. 2.do Hic Propheta non loquitur de mysteriis absconditis Scripturarum, sed de cognitione unius Dei; quam Prophetiam adimpletam cernimus. Nam Gentiles, et Idololatrae conversi sunt ad fidem, ipsique Judaei olim ad idololatriam proclives, et Turcae, licet impii, unum Deum nobiscum colunt.

Ob. 3.tio Idem Matth. c. 23. v. 8. Vos, autem, ait Christus ad Discipulos suos, nolite vocari Rabbi, unus est enim Magister vester Christus. Ergo ab ipso solo, non ab Ecclesiâ seu Ecclesiae Praepositis, qui peperam sibi Magistrorum officium arrogant, sensus Scripturae expetendus est. 92.

Resp. neg. cons. Non prohibet Dominus nomen et officium Magistri, sed honoris illius ambitionem, et affectationem. Apostolus enim ipsemet se Doctorem et Magistrum Gentium appellat, 2. ad Timoth. 1. Ergo loco citato Christus monet dumtaxat Discipulos suos, ne ad imitationem Scribarum, et Pharisaeorum primas ambirent Cathedras, et affectarent salutari ab hominibus Rabbi. Deus equidem solus Magister est, dum per se ipsum interioris gratiae influxu mentem illustrat, ac voluntatem movet, quando Pasto-

res, et Doctores exterius insonant, verbum Dei annuntiando: nisi enim Deus ad externam verbi sui prædicationem aures cordis interius aperiat, evanescit illa, ac planè inutilis ad salutem erudit. Ita S. Augustinus*.

* Tract. 3. in Ep. Joan. n. 13.

93. Ob. 4.to Si à Judicio Ecclesiæ verus Scripturæ sensus pendet, tunc pendet à verbo hominum. Atqui hi sunt fallibiles. Ergo debilissimo nititur fundamento.

Resp. Verbum Ecclesiæ non esse omninò verbum hominum, id est, verbum erori obnoxium, sed aliquo modò Verbum Dei, prolatum nempe assistente, et gubernante Spiritu Sancto, prout ipsimet testati sunt Apostoli simul congregati Act. 15. v. 28. Visum est Spiritui Sancto, et Nobis.

Caput Septimum
De Variis Sacræ Scripturæ editionibus, et Versionibus.

94. De Variis Sacrarum Scripturarum editionibus et Versionibus præsenti Capite acturis nobis animus non est, ideas omnes omninò commemorare, quæ variis temporibus, variisque linguis hucusque publicam aspexêre. Cum enim ea penè sint innumera, neque earum, et Stylo, et quadam nomenclatura adeò magnam utilitatem præ se latura videatur, meritò huic labori supersedimus, eoquòd instituti nostri rationem excedere videatur; breves enim, quantùm licet, et utiles duntaxat esse cupimus.

Igitur eas solummodò Sacræ Scripturæ editiones, et Versiones hic referemus, quarum fecit mentionem Bellarminus*. Reliquarum Catalogus videri potest apud P. le Long Oratorii Presbyterum, libro, cui titulum fecit, Bibliotheca Sacra, et apud D. Calmet in hac Bibliotheca Sacra, quam suo Biblico Dictionario præfecit. et in eodem Dictionario Verbo Biblia.

* De Verb. Dei lib. 2.

68
3. 59

De Editione Scripturarum Hebraicâ. 125. ~~129~~

Omnes Veteris Testamenti Libri ab Auctoribus suis conscripti fuerunt linguâ Hebraïcâ præter quasdam Libri j.mi Esdræ, et Prophetiæ Danielis partes, quas Chaldaïcè, vel Græcè exaratas vult D. Calmet, prout ipse ad nos olim scripsit. 95.

Additamenta verò Esther, item Baruch, Judith, et Ecclesiasticus etiam Chaldaïcè, vel Syriacè conscripti sunt, sicut et Machabæorum liber j.mus Secundum verò Græcè exaratum dicit laudatus Calmet. Denique Sapientiæ liber Græcè etiam exaratus fertur.

At ex Novi Testamenti libris solum Evangelium S. Matthæi Hebraïcô, seu Syriacô, vulgari tunc temporis in Judæâ idiomate exaratum perhibetur; reliqui omnes Græcè ab Apostolis conscripti, et editi fuêre.

De Versione Chaldaïcâ.

Chaldææ Versiones Pentateuchi vetustissimæ censentur, inquit Calmet*, nec desunt eruditi, qui eas Christi adventu anteriores velint, posteriores tamen esse constat, inquit idem Calmet*. 96.

* Dict. Bib. Verb. Biblia

Sed præter eos libros, qui Chaldaïcô sermone editi sunt, ut Tobias, Judith, pars Esdræ, et Danielis, hæc Chaldaïca interpretatio est potiùs continuata paraphrasis, seu explicatio, quàm litteralis Hebraïci textus versio, ut et eam Targum, quod nomen expositionem, et explicationem sonat, nuncupant.

* Ib. Verb. Versiones Chaldaæa.

Tradit laudatus Calmet*, has Scripturæ expositiones exaratas fuisse Chaldaïcâ linguâ, seu Vernaculâ Judæorum post Captivitatem Babylonicam. Tunc enim Chaldaïca lingua familiarior cœpit esse apud Judæos, quàm Hebraïca, adeò, ut cùm

* Ib. Verb. Targum.

textus Hebraicus Scripturæ in Templô, sive in Synagogis legeretur, explicationes Chaldaicæ in favorem vulgi maternam linguam parùm callentis adjungerentur.

Conjectura est, hæc etiam Esdræ ætate jam servari consuevisse, quòd ide Legem populo in Templô recitans*, simul unaum cæteris Sacerdotibus assistentibus idam populo explicaret; sive tum linguâ Hebraicâ, sive, quod verisimilius est, Chaldaicâ, vel Syriacâ uteretur; Syriaca enim et Chaldaica lingua tum temporis erant affines*; Nam lib. 1. Esd. c. 4. v. 7. Et 4 Reg. c. 18. v. 26. Danielis item c. 2. v. 4. Lingua Chaldæa appellatur Aramea, seu Syriaca. Et etiamnum hodie ambæ hæ lingua valde inter se conformes habentur.

Quamvis autem expositionum Chaldaicarum mos diu apud Judæos obtinuerit, nulla tamen extant scriptæ paraphrases, nisi quas Rabbi Aquila, qui Chaldaicè Onkelos dicitur, et Jonathan Uzeli filius, et Josephus cœcus ediderunt.

Jonathan sub Herode triginta ante Christi adventum annis vixisse fertur. Suô Stylô Majores, et Minores Prophetas exposuit, opúsque suum Judaicis fabulis, et* Thalmudistarum magis conspergit, quòd verissimum esse, experimentô comprobaturum, ait Bellarminus*, illum, qui illud legere voluerit.

Ferunt, Doctores quondam Hebræos Jonathâ septingentis annis recentiores Operi ipsius aliquid addidisse, fortè in Pentateuchum paraphrasim, quam ipsi falsò adscribi ait Calmet; ex quâ forte Bellarminus eos lapsus, quos commemorat, desumpsit.

Onkelos Jonathâ recentior creditur Jesu Christi ætate floruisse. Nonnisi Pentateuchum exponit. Ipsius Targum* præ

u * Esd. 2. c. 8. v. 9.

x 2. Esd. c. 4. v. 7.

y * Thalmud liber est continens explicationem Legis Judaicæ, unde Thalmudistæ dicuntur ii, qui hujus libri dogmata sequuntur et exponunt.

z * lib. 2. de Verb. Dei.

a * Targum nomen quod Judæi tribuunt Glossis

cæteris est in pretiô; singulis Hebraïci textûs versibus Chaldaica paraphrasis subjicitur; et adeò concinnus, et simplex est, ut in suspicionem corruptionis nunquam venire possit, neuon tam exultô stylô utitur, ut ferè eandem præ se ferat Chaldaïca lingua puritatem, ac Daniel, et Esdras. 127. 131. suis et Paraphrasi Chaldaica in Scripturam Sacram.

Josephus verò cœcus ætate, et pretiô, sicut et stylô cæteris longè inferior, Chaldaïcô quidem idiomate, sed barbarorum vocabulorum admixtione corruptissimô, utitur. In Psalmos, in Job, Proverbia, Cantium Cantiorum, Ecclesiasten, Ruth, et Esther commentatus est.

Præter hæc aliud adhuc circumfertur Targum, quod Jerosolymitanum nuncupatur. Pentateuchum non excedit, quin nec integrum est, et absolutum, versibus quandoque mancum alios transponit, alios mutilat; unde facilè oritur suspicio, fragmentum esse alicujus veteris paraphrasis, quæ fortè periit.

De Versione Syriacâ.

Lingua Syriaca proles quædam est ~~Hebraïs~~ Hebraïca, et Chaldaïca, aut fortè una eademque cum Chaldaïcâ antiquâ. Hebræi enim captivi Babylonem abducti paulatim oblivioni traditâ maternâ linguâ, et propriâ Hebraïcâ addiscere cœperunt idioma Chaldaïcum, cui cùm ex Hebræô nativô semperaliquid admiscerent, tertia quædam lingua ex eâ permixtione orta est, quæ à regione, ubi maximè in usu erat, Syriaca, vel etiam, quòd eâ Hebræi uterentur, atque apud ipsos vulgaris esset, Hebraïca est nuncupata. 97.

Extat quædam Syriaô idiomate conscripta, et ab Hebræô depromptâ Veteris Testamenti Versio, cujus Patres Græci sæpiùs meminerunt. Albertus quoque Widmes-

128. ~~132.~~ tarius Ferdinandi Imperatoris quondam Cancellarius, primus in Europâ Testamentum novum Syriacum typis dari curavit.

98. De Variis Græcis Versionibus.

Clemens Alexandrinus cujusdam Græcæ Veteris Testamenti Editionis meminit, lib. i. Strom. quæ, priusquam Alexander Magnus rerum potiretur, incertô Autore prodiit, et ex quâ Plato, cæterique Philosophi non parva hauserunt. Idem alludere videtur Josephus*, quando narrat, Theopompum, et Theodecten divinitus punitos fuisse, quòd suis historiis, et poëmatibus inserere tentassent nonnihil ex Sacris Biblijs Græcis videlicet, nec enim græci solebant addiscere linguam Hebraïcam. Item lib. i. cont. Appion. asserit, Platonem in suis libris de legibus Moysem expressisse: Scripturam ergo Græcè editam legerat Plato, quippe qui hebraïci idiomatis ignarus erat.

Idem tuentur Patres apud D. Augustinum*, qui passim asserunt, Pythagoram, et Platonem multa ex Moysis, et Prophetarum libris hausisse.

At cum vitiosa esset, nec omnes completeretur Sacræ Scripturæ libros, incertumque referret Autorem, succedente deinde celeberrimâ illâ Septuaginta Interpretum Veteris Testamenti Versione, primum negligi cœpit, ac tandem omninò evanuit. Ita sentiunt Patres.

99. Ordine ergo secunda, at meritô et dignitate omnium Versionum Græcarum Veteris Testamenti prima agnoscitur illa, quam ferunt à Septuaginta Hebræis Interpretibus factam Alexandriæ, regnante ibidem Ptolomeô Philadelphô Ptolomæi Lagi filiô.

Hujus Versionis historia legitur in libellô aliquo, qui Aristææ cujusdam nomen præfert, quem dicunt fuisse unum ex Lega-

6 * Antiquit. lib. 12. c. 2. Ex Aristæa historiâ, quam commentitiam plures eruditi consent.

c * lib. 18. De civ. c. 11.

5. 61

tis, quos idem Ptolomæus Hierosolymam hac de re miserat. Libellus iste extat nunc Græcis, latinis, et Hebraïcis litteris exaratus; necnon græcè et latinè Bibliothecæ Patrum insertus est*; nihilominùs plures eruditi hâc nostrâ ætate dubitant, num libellus iste, qualis adhuc circumfertur, suppositicius non sit. Profectò illum non omninò sincerum opus esse suspicatus est S. Augustinus lib. 18. de Civ. c. 4. quem sentus est Salmeron*. Alii volunt, antiquum quidem opus esse, sed merum commentum à quodam Hellenistâ Alexandrinò confictum, quò versioni à his conviviis editæ auctoritatem conciliaret. Certè vel ipsa hujus historiæ lectio id persuadere videtur.

Quidquid sit, hanc tamen Versionis istius historiam crediderunt, necnon memoriæ mandarunt Josephus, lib. 12. Antiq. Philo, lib. de vitâ Moysis. Idem quoque meminerunt Eusebius, lib. 8. præpar. Evang. c. 1. Irenæus, lib. 3. c. 25. Justinus, Apolog. 2. Clemens Alexandrinus, lib. 1. Strom. Tertullianus, Apolog. c. 18. Augustinus, lib. 8. de Civ. c. 11. et lib. 2. de Doct. Chr. c. 15. Bellarminus etiam hanc Aristæa historiam veram esse asserit*, plurèque alii in hâc sententiâ versantur. At plerique Recentiores eam velut meram fabulam penitùs rejiciunt, et explodunt.

En verò historia, prout in Aristæâ legitur, epitomen. Cum Ptolomæus Philadelphus Rex Ægypti Alexandriæ magnificam Bibliothecam extruxisset, eique Demetrium Phalerum præposuisset, hic Regi huic autor fuit, ut illùc sacros Judæorum libros deferri, necnon græcò idiomate donari curaret in Bibliothecâ hâ reponendos. Placuit Regi consilium, atque igitur destinatis ad Eleazarum tunc temporis summum Judæorum Sacerdotem legatis, oblatisque

129.

* Tom. 13. pag. 856. edit. Paris. an. 1654.

* Proleg. 6.

* lib. 2. de Verb. Dei. c. 6.

muneribus regiâ liberalitate dignis, petiit abipso, ut viros adornandæ ex hebraeo in Græcum sacrarum litterarum versioni aptos Alexandriam mitteret. Eleazar Regi obsequendum ratus, delectisque ex unaquâque Tribu sex viris versioni huic adornandæ peritissimis, qui septuaginta, vel septuaginta duorum numeriam complerent, unà illis volumen legis tradidit aureis litteris exaratum, cujus membranæ miâ arte erant inter se contextæ, atque in Ægyptum ad Regem misit, adjectis litteris, quibus et regiam ipsius liberalitatem, in Deum religionem, et in Judæos clementiam meritis laudibus efferebat. Comiter excepti sunt à Philadelphô viri isti, simulque religiosô obsequiô sanctos libros observans, septies in terram usque prosus adoravit. Cbdius etiam elegantiam, aurearum litterarum tenorem simul, et picturarum venustatem plerimùm laudavit; et postquam aliquot diebus lautissimis conviviis idos recreasset, neuon pluribus ænigmaticis quæstionibus tentasset, ad adornandam versionem dimisit. Igitur eos Demetrius Phalerus Bibliothecæ Regiæ Præfectus in Insulam Pharon per pontem septem stadiorum dederit, ut ibi à tumultu, et strepitu hominum secreti librorum sacrorum versioni toti vacarent, quæ deinde septuaginta, vel septuaginta duorum dierum spatiô, pro numerô siliet Interpretum, ab ipsis confecta est. Peractum opus Demetrio tradiderunt Interpretes in coetu Judæorum Alexandrinorum legendum, probandúmque. Omnium assensu tanquam recta, et fidelis excepta versio, útque ei inviolata adderetur autoritas, anathema pronuntiatum in eos, qui temerariô ausu in eam manum movere audeant. Rex hi omnibus compertis lolectatus plurimùm, simulque libri lectione au-

5. 62

ditâ, sapientiam Legislatoris admiratus est, 131.
Versionemque in suâ Bibliothecâ recondendam solertique curâ servandam tradidit; cùm prius Judæis dedisset faultatem, idem plura sibi exscribendi apographa; Interpretes ditissimis donatos numeribus in Judæam remisit, neuon in præstiti officii gratiam viginti Judæorum ~~milia~~ apud se captivorum milia in libertatem asserit. Hæc historiæ ab Aristeâ circa Septuaginta Interpretum sacræ Scripturæ Versionem conscriptæ epitome.

Philo hanc etiam historiam refert*, quam contigisse vult sub Ptolomæo Philadelphô tertiô ab Alexandrô Ægypti Rege. Memorat etiam, Regem viros idos pluribus ænigmaticis quæstionibus tentasse, simulque idorum responsiones atterit. Addit præterèa, eos, dum Versioni incumberent, ita divinô Spiritu afflatos fuisse, ut omnes eadem scriberent, non seus ac si invisibiliter ipsis dictata fuissent. Postmodùm verò ait*, eam fuisse Judæorum, Ægyptiorum pro hac versione Legis lætitiam, ut annuâ solemnitate ejus memoriam celebarent. Singulis igitur recurrentibus annis in Insulam Pharos se conferentes, alienigenis etiam pluribus Religionis gratiâ comitantibus, post obsequia ritè persoluta convivia pietatis eos instituisse in tentoriis, in littore, in sabulô, locum virorum præsentiâ Religiosum venerantes.

g * lib. 1. de vita Moysis.

h * lib. 2. de vit. Moys.

Nihilominus, prout jam memoravimus, plurimis eruditis viris hæc historia commentum videtur à Judæis Alexandrinis confictum, quò Græca hæ versioni auctoritatem conillarent. Cùm enim, inquiunt, hebraâ linguâ haud ampliùs utarentur, sed Græcâ; comparandi erant sacri 100.

Codices, qui Græcè essent exarati, et quia sub gravi interminatione Hebræis inhibitum erat, ne aliâ, quàm maternâ, linguâ sacros libros donarent, aut donari permitterent, indè fingenda erat historia, quæ portentum quoddam et prodigium referens, libris auctoritatem et firmitatem tribueret, simúlque Interpretem à pœnâ liberaret.

Nec desunt ~~argumenta~~ ipsi argumenta, quibus opinionem suam stabiliant. Ajunt enim 1.º Quòd Scriptores eandem referentes historiam inter se non constent; aliter enim eam refert Aristobulus, aliter Josephus; non eadem narrat Philo. Justinus dicit, ad Herodem Regem Judæorum à Ptolomæo missos fuisse legatos, ubi in intolerabilem anachronismum labitur.: Aliqui Septuaginta, vel Septuaginta duas cellulas numerant, quibus singulos; alii tantum triginta sex commemorant, quibus singulis binos Interpretes inclusos fuisse volunt; cum tamen hujus rei apud Aristeam nulla fiat mentio.

2.º Quòd ipsorum Chronologia omninò ab Originali Hebræo discedat, atque sex Patriarchis, qui ante diluvium vixerunt, plures, quàm centum ætatis annos tribuant, priusquam ipsis proles nascerentur; unde quorundam eruditorum conjectura est, id ex industriâ factum esse, voluisséque Judæos Alexandrinos Moysis libros adaptare Ægyptiorum Annalibus, qui mundo antiquiorem ætatem adstruebant, quàm Moyses eidem in suâ historiâ tribuerit, quamvis tamen, admissâ etiam Septuaginta Interpretum Chronologiâ, hi Hebræos mirè ab Ægyptiis abesse constet.

3.tio Quòd Hebraico textu etiamnum reluctante, hi Interpretes in suâ versione

quoad pondera, mensuras, et monetas usum Alexandrinum secuti fuerint; undè quia civitatis istius drachma duas Palestinæ æquabat, monetam, quam Josephus, et Evangelista Tetradrachmam vocant, ipsi didrachmam nuncupavêre. 133.

4.to Quòd Aristæas, cùm Ethnicus fuerit, tamen in memoratâ hâ historiâ quâ studiô, quâ stylô ineptè satis Judæum se prodat.

5.to Quòd Ptolomæum Philadelphum tanquam sapientissimum, et religiosissimum Principem, Dei, ejusque templi, ac Scripturarum observantissimum Aristæas exhibeat; cùm tamen corruptissimis moribus idum fuisse historiæ memoriâ proditum sit.

6.to Quòd Demetrium Phalerum inducat tanquam Philadelphi Regis gratiâ, et favore potentem; cui tamen Regem nunc infensissimum fuisse compertum habemus, quòd Ptolomæô Lagi illius genitori auctor fuisset, ut à Regni successione eum excluderet; undè factum, ut Philadelphus vix rerum potitus Demetrium amandarit in exilium, ubi mœrore et desperatione actus, mortem aspidis morsu sibi ipsi consivit; prout refert Hermippus in Diogene Laërtiô.

7.mo Quòd non potuerint ex quâlibet Tribu deligi sex viri, qui in Ægyptum ad interpretandos Sacros libros mitterentur cùm à tempore dispersionis Judæorum solæ Tribus Benjamin, et Judæ in Judæâ remanserint.

8.vo Quòd pons ille, quo Pharon Insulam Alexandriæ junctam fuisse commemorat Aristæas, teste Ammianô Marcellinô Cleopatræ opus fuerit, quæ lon-

gè post Ptolomei Philadelphi tempora vixit.

9.no Quòd idem ubique Stylus in hoc ~~Aristo~~ Aristæa libellô reperiatur, Hebraismis redundans, nec exceptis quidem litteris Philadelphi ad summum Pontificem, uti et hujus ad Regem; supplicique ad Philadelphum Demetrii Phaleri libellô.

10.mo Quòd Judæos Hebraïzantes tantus hujus Versionis horror ceperit, ut in ejus memoriam, conceptúmque de eâ mœrorem jejunium quotannis die octavâ Mensis Tebet, Decembri nostro respondentis, instituerint atque Calendario suo inseruerint, idúdque semper servaverint, libertatem et audaciam Judæorum Hellenistarum destantes, qui Legem impurô et extraneô sermone corrupissent, addentes, hujus factæ versionis diem in Israël parem intulisse perniciem, qualem Jeroboam filius Nabat intulit, cum Vitulos aureos dedicavit; hujusque rei mœrore cœlum triduanis tenebris horridum amissô legis obsequiô parantasse.

11.mo Denique, ut cætera omittamus, quòd, etsi historiæ sua haberetur firmitas, omninò tamen incertum sit, num hi Septuaginta Interpretes omnes Sacræ Scripturæ libros verterint, an verò solummodò Pentateuchum; imò videtur, quòd erigunt ide dicum numerus, quibus ab ipsis versio confecta est, nonnisi vertendis quinque libris Moysis sufficerit; qui enim tam angustô temporis spatiô adeò grande Scripturarum volumen vel solummodò exscribere potuissent? Profectò Aristæas, qui primus hanc historiam vulgasse dicitur, de solâ Moysis lege loquitur: Rex, inquit, libri lectione auditâ sapientiam Legislatoris admiratus est.

Certè S. Hieronymus, qui alias summâ cum libertate de hac versione loquitur, Septuaginta hos Interpretes Pentateuchum duntaxat vertisse testatur, comment. in Ezech. 9. et in Matth. 2. Quamvis alibi paulò aliter loqui videatur. 135

Josephus rem definire videtur, apertè enim asserit*, Septuaginta nonnisi libros Moysis vertisse. Et profectò caeterorum librorum, praeter Pentateuchum, versio alios pro se fere videtur Interpretes, ignotos quidem et variae aetatis. Neque enim unius Auctoris omnes esse videntur, prout ex stylivarietate, nemon diversâ unam eandémque vocem reddendi ratione facilè intelligitur.

* Praefat. lib. de Antiq.

Quidquid hac de re sit, vetustissimum planè opus esse, nemo diffitetur, facilè sub Philadelphó, saltem quoad Pentateuchum, cujus versio majori fide constat, adornatum.

Apud Antiquos Patres versionem hanc maximó in pretió fuisse certissimum est: eam quippe passim laudant, et sequuntur ii, quos supra adduximus. Imò ipsi Apostoli hac versione frequenter usi sunt, idque testatur Irenaeus* Et Hieronymus, Jure, inquit*, Septuaginta editio obtinuit in Ecclesiâ, vel quia prima est, et ante Christi facta adventum, vel quia ab Apostolis, in quibus tamen non discrepat ab Hebraeó, usurpata. Hic ergo juxta S. Hieronymum, non universim ab Apostolis usurpata fuit Septuaginta Interpretum versio, sed in iis duntaxat, in quibus ab Hebraïcó non discedere visa est; alibi enim* in eâ multa desiderat, quae tamen habentur in Scripturis, atque ex veteri Testamentó in Novó laudata reperiuntur. Recentiores quoque Critici sat benè multi plura adhuc vitia,

101.

64

* lib. 3. c. 25.

* De opt. gen. interpr.

* Praefat. in Pentateuch. et Comment. in Isaiam.

~~140.~~ negligentias, et ositantias in eâ Versione notavêre. Bellarminus ipse eam multis locis vitiatam esse testatur*; quippe quæ ea contineat, quæ nullô modô cum veritate cohærere possunt; quale est illud de supputatione annorum Mathusalem, Genes. 5. Nam secundùm græcam hanc versionem invenitur Mathusalem vixisse quatuordecim adhuc annos post diluvium, cum tamen in Arcâ Noë non fuerit; solùm enim octo animæ eam ingressæ sunt, Noë videlicet, Sem, Cham, et Japhet, et uxores eorum, ut habetur Genes. 6. et 1. Pet. 3.

* De Verb. Dei l. 2. c. 6.

Sed sive Interpretum ositantiâ, sive Ammanuensium et Librariorum ignorantiâ, sive deinde posteriorum temporum injuriâ hæc vitia in eam versionem inseserint, id tamen certum esse debet, editionem, quæ sub Septuaginta Interpretum nomine Hieronymi ætate circumferebatur, et adhuc etiamnum circumfertur, non esse tantæ auctoritatis, ut ad illius normam aut Hebraicus, aut Latinus textus emendari debeat.

102. Alia adhuc ab eruditis viris numerantur Græcæ Scripturarum Veteris Testamenti versiones, ut Aquilæ Pontici facta anno Christi 130mo Adriani Imperatoris 12mo prout testis est Epiphanius*.

* lib. de mens. et pond.

Fuit autem Aquila primum Gentilis, deinde Christianus; sed, quòd Astrologiam judiciariam sectaretur, ab Ecclesiâ pulsus, Judaïsmumque amplexus versionem suam adornavit, quæ tamen, quòd candor in eâ desideraretur, plerumque neglecta fuit.

103. Commodô Imperante, sub finem videlicet Secundi Sæculi, Theodotion ex Marcionistâ Judæorum Proselytus, ver-

sionem suam adornavit, majori quidem, 137.
quàm ceteri sibi similes, fide, prout testa- ~~141.~~
tur Epiphanius*; Et ex ejus interpretatio- * p lib. de mens. et pond.
ne Eulesiam Danielem legere asserit Hie- * q Præfat. in Daniel.
ronymus*. 104.

Symmachus quoque primùm Ebio-
nitarum, si Eusebio credimus, aut Samari-
tanorum, si Athanasium et Epiphanium se-
quamur, partibus additus, deinde Judaïcam
amplexus Religionem Sacros libros ex Hebræo
in Græcum sermonem transtulit Severi Au-
gusti temporibus. Imperio autem præfuit
hic Imperator ab An. Chr. 193. usque ad
an. 211.

Ex his Græcis editionibus, aliisque 105.
duabus incertorum Auctorum, quarum
una anno Septimo Antonini Caracallæ
~~an~~ apud Urbem Hiericho, quæ nonnisi
Psalmos; altera Alexandro Mammæa
filio imperante apud Nicopolim, quæ iti-
dem Psalmos, et fortè duodecim Prophe-
tas Minores complectebatur, in doliis qui-
busdam inventæ fuerunt, Origenes
sua Tetrapla, Hexapla, et Octapla con-
fecit. Nam primùm divisit singulas
paginas in sex columnas; ac in primâ
quidem descripsit Hebraïcum textum
litteris Hebraïcis; in secundâ eundem
hebraïcum textum græcis litteris; in
tertiâ interpretationem Aquilæ; in
quartâ interpretationem Symmachi; in
quintâ Interpretationem Septuaginta
Seniorum; in sexta interpretationem
Theodotionis; Atque hæc volumina
propter quatuor interpretationes Tetra-
pla, propter sex columnas verò Hexapla
fuêre nuncupata. Quæ deinde, ubi is-
dem binas ultimas, quas commemora-
vimus, Versiones, in aliis duabus colum-

B. i. 65
83
87

~~142.~~ nis adjunxisset, Octapla dicta fuerunt.

Laudatus Origenes, quamvis Scripturas ex Hebraïcô non transtulerit, Septuaginta Seniorum interpretationem tamen ita emendavit, multis ex Theodotione admixtis, et asteriscô notatis, quo quid textui ipsorum adjiciendum foret, ostendebat; et obeliscô, quo quid ex textu expungendum esset, videlicet quod à Septuaginta præter id, quod ~~[illegible]~~ in hebraïcô erat, in textu Græcô adjectum fuerat, adnotabat; ut novam editionem fecisse censeatur; quæ eo tempore ita Doctorum approbationem meruit, ut brevî omnes Bibliothecas repleverit, teste Hieronymô*, qui eam communem appellari solitam fuisse scribit*.

r * Ep. ad Aug. 89.

s * Præfat. l. 16. in Isai.

~~108.~~ Lucianus quoque Presbyter Antiochenus, qui sub Imperatoribus Diocletianô, et Maximianô Martyrii palmam adeptus est*, cùm in jam à nobis adnotatis editionibus multa vitia obrepsisse cognovisset, rursùs magnô labore novam molitus est, quam ipsius hujus Sancti Martyris manu descriptam sub Constantinô Imperatore Nicomediæ repertam scribit Pseudo-Athanasius in Synopsi.

t * Euseb. lib. 9. Hist. c. 6.

~~109.~~ Hesychius item Septuaginta Seniorum interpretationem emendavit, atque Ægypti Eulerius tradidit. De his editionibus hæc eloquitur Hieronymus*; Alexandria et Ægyptus in Septuagintaginta Hesychium laudat Auctorem. Constantinopolis usque Antiochiam Luciani Martyris exempla probat. Media inter has provincias Palestinos Codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius, et Pamphilus vulgaverunt.

u * Præfat. in lib. Paralip.

De Editione græca Novi Testamenti.

Novum Testamentum ab ipsis Apostolis græcè Scriptum fuisse, jam supra indicavimus. Matthæum verò Hebraïcô, seu Syriacô, tunc temporis apud Judæos vulgari, sermone Evangelium suum Scripsisse testantur, Irenæus lib. 3. c. 1. Autor Synopsis, in Catalogo lib. Sacror. Hieronymus, Præfatione Comment. in Matth. Et in c. 11. Osee. Item de Script. Eccles. in Matthæô. Aliique omnes. 107

Autor Synopsis existimat Matthæi Evangelium à Jacobô Apostolô in linguam græcam fuisse translatum; alii verò Joanni Apostolo, ipsimet Matthæo alii hanc translationem adscribunt. Sed cujusvumque demum ea sit, idam eâ ratione Ecclesia accepit, ac si græcâ linguâ primùm istud Evangelium Scriptum fuisset.

Quo verò idiomate primùm Scriptum fuerit Marci Evangelium non satis liquet; alii enim græcô, alii latinô exaratum volunt. Veterum ac recentiorum turba græcum asserit, græcusque textus ab ipsis Originalis putatur. Sed exemplaria nonnulla Mss. Græca latinum testantur, quibus Syriaca et Arabica consentiunt: nec sanè alius sermo eum decere videbatur, ut qui Romæ, et pro Romanis Scriberet. Quare hanc opinionem Baronius ad an. 45. et Seldenus in Not. in Eutychii origin. Alex. veriorem censuêre. Cæteris tamen ferè omnibus contrarium visum est. 108.

Folia quædam Venetiis asservantur Originalis, ut creditur, S. Marci manu descripti, quod, si verum esset, sola

140 ~~144~~. hujus MS. inspectio litem hanc dirimeret; at an non suppositititium sit Opus, ambigitur, senio et vetustate ita obliteratum est, ut vel unius litterulæ linea vix discernatur, ad quod etiam haud parum contulisse videtur loci subterranei, in quo an. 1564. reconditum fuit, humiditas, ut potè qui proximò mari sit depressior, et cujus proinde superior etiamnum fornix circum obsidentes aquas habeat, nam lectio adhuc ex eo poterat exprimi, antequam in idem locum inferetur. Omnium novissimus, qui Scripti hujus meminit, D. Bernardus Montfaucon Congregationis S. Mauri in Galliâ Monachus Benedictinus, Latinè Scriptum aserit*, atque tanta vetustatis opus nunquam se vidisse testatur, necnon ad minimum quarti Sæculi opus esse*. Auctor, qui ante Montfaucon librum inspexerat, Græcos caracteres sibi deprehendisse in eo visus est.

66 2

* Iter Italic. c. 4.

* Antiquit. explic. lib. 13.

Istud Marci Evangelium Latinè ab ipso Romæ Scriptum esse, ac deinde ab eodem Aquileæ in linguam græcam conversum docet Adrianus Finus*; sed ~~ab~~ Marci ~~Evangelium~~ Aquileam adventum veterum multus commemorat, unde parum probabiliter idà Fino aseritur.

* lib. 6. flagell. Judæo. c. 80. et lib. 8. c. 62.

109. De Latinis Editionibus Scripturarum Sacrarum.

Olim, et primis Ecclesiæ temporibus innumerabiles penè Latinas editiones S. Scripturæ fuisse testatur S. Augustinus*. Qui ex Hebræâ linguâ, inquit, Scripturas in græcam verterunt linguam, numerari possunt, Latini autem multò modò, ut enim unique primis fidei temporibus in manus venit Codex græcus, et aliquan-

* lib. 2. de Doct. Christ. c. 11.

tulum facultatis sibimet utriusque linguæ 141.
habere videbatur, ausus est interpretari.
Et S. Hieronymus, Apud Latinos, inquit, tot * Præfat. in Josue
sunt exemplaria, quot Codices, cùm unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit, vel subtraxerit, quod ei visum est.

Hæ Versiones, quamvis vetustissimæ, 110.
tamen Christianæ Religionis exordia non antecedunt. Judæi enim in Romano Imperio commorantes, cùm omnes ex Asiâ, sive Græciâ egressi Græcum et Hebraicum sermonem caderent, de Veteri Testamento Latinitate donando non cogitavêre. At ubi in Ecclesiæ primordiis Ethnici, seu Gentiles, apud quos Latina tantùm lingua in usu erat, frequenter Christianam Religionem amplexi essent, tum adornari oportuit cùm Novi tùm Veteris Testamenti Versionem Latinam, quò et ipsi sacris libris uti possent. Ea autem Versio, quantum ad Vetus Testamentum ex Græcâ Septuaginta Interpretum est adornata; hoc enim idioma duntaxat notum erat Latinis; atque ante Hieronymum nemo fuit, qui Veteris Testamenti versionem ex Hebræo curavit. Hic S. Doctor, cùm semel et iterum Psalterium, et librum Job revidisset, tum etiam illius ex hebraico versioni manum admovit.

Novum autem Testamentum idem 111
Hieronymus Damasi Papæ jussu è græco in Latinum transtulit, vel saltem emendavit, neque à multis mendis, quæ librariorum vitio irepserant, expurgavit. Novum Testamentum græca fidei reddidi, inquit lib. de Vir. Illust. in fine. Et Præfat. Evang. ad Damas. Calamo, inquit, temperavimus, ut iis tantùm, quæ sensum mutare videbantur, correctis, reliqua manere pa-

142. ~~140.~~ teremur ut fuerant in Veteri Versione Scilicet, quæ Itala, quòd in Italia primùm prodiisset, atque pro Italis præcipuè fuisset edita, dicebatur, nec non tunc temporis Communis seu Vulgatæ nomine veniebat; Hæc enim inter Latinas editiones, quæ Hieronymum præcessêre, celeberrima habita est, unde aliô nomine, ut dictum, communis, seu vulgata nuncupabatur, utpotè omnium clarissima, et ad litteram maximè accedens: In ipsis interpretationibus, Itala cæteris præfertur, inquit S. Augustinus*, nam est verborum tenacior cum perspicacitate sententiæ.

67 3

* lib. 2. de Doct. Christ. c. 15.

143. At postquam S. Hieronymus ex Hebraô Latinam suam Veteris Testamenti versionem adornasset, et Novum Testamentum emendasset; sensim Ecclesia Latina undique Veteri Italicâ dimissâ, hanc, quam nunc nostra Biblia sive typis vulgata, sive manuscripta præ se ferunt ita adoptavit, ut à tempore S. Gregorii Magni hac unicâ editione hactenus usa sit, atque eos libros hæc nostra vulgata Biblia potissimùm referant, quos Sanctus Hieronymus vertit, aut emendavit.

143. Dicimus potissimùm; Libros quippe Veteris Testamenti, quorum Græca tantùm supersunt Archetypa, et quos Græcô duntaxat sermone scriptos invenit S. Hieronymus, reliquit intactos: quare libri Sapientiæ, Ecclesiastici, Machabæorum gemini, Prophetia Baruch, Epistola Jeremiæ, additiones ad calcem Esthe, et duo postrema Danielis capita cum Canticô trium puerorum ex Veteri vulgatâ, hu Italô, ex qua etiam totum Psalterium descriptum est, paucis à Hieronymô mutatis, et correctis, nostrâ ætate obti-

nent; Versio enim Psalmorum à S. Hieronymo ex Hebraeo elaborata in quibusdam nostris latinis Bibliis sorsim duntaxat exusa perhibetur. 143.

Haec est igitur Vulgata illa, quam Concilium Tridentinum lato Decreto authenticam declaravit his verbis:* Sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accidere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus editionibus latinis, quae nam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit, et declarat, ut haec ipsa Vetus et Vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, expositionibus Theologicis pro authentica habeatur; et ut nemo illam rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat. 144.

* Sess. 4. c. 2.

Ubi notandum, Sacrum istud Concilium, cum hoc suo Decreto Veterem nostram et vulgatam S. Scripturae editionem authenticam declaravit, id duntaxat innuere voluisse: Eam nempe inter omnes latinas ejusdem S. Scripturae editiones, quae tunc temporis circumferebantur, atque haeretico ut plurimum sive ignoto Auctore erant suspectae, esse praecipuam, fidelissimam, ac tutissimam, necnon quantum ad substantiam, rerque fidei et morum disciplinam spectantes ab omni erroris suspicione immunem; quam proinde ceteris anteponere, atque in omnibus publicis lectionibus, disputationibus, expositionibus Theologicis adhibere tanquam veram et fidelem oporteret.

Decretum autem istud jure et merito à laudato S. Concilio fuisse editum nobis adversus Adversarios nostros Acatholicos hanc nostram Vulgatam

~~Maj.~~
~~116.~~ latinam editionem seu versionem velut variis scatentem erroribus prosciendentes demonstrandum est. unde fit.

Conclusio.

115. Jure, et meritò Sacrum Tridentinum Concilium Veterem, et Vulgatam nostram S. Scripturæ latinam Editionem authenticam declaravit.

Ph. conclusio 1.o Ex Traditione Ecclesiæ. Eam latinam Sacræ Scripturæ Editionem jure, et meritò Concilium Tridentinum authenticam declaravit, quæ longò, et constanti sæculorum, atque plusquàm mille et centum annorum usu in Ecclesiâ probata est, quámque Patres, Doctores, concionatores omnes explanaverunt, et populis proposuerunt; ex quâ Concilia omnia sua testimonia ad confirmanda fidei dogmata protulerunt. Atqui hæc est vulgata nostra. Ergò eam jure, et meritò Concilium Tridentinum authenticam declaravit.

Alia sed C.

Maj. est aperta; sæpè enim sequeretur, tot sæculorum spatiò Ecclesiam germanâ Scripturæ interpretatione caruisse, atque in iis, quæ ad fidem, et religionem pertinent, erroris ignari, et ignoti cujusdam Interpretis pro verbò Dei coluisse; quod asserere ludum absurdum, sed omninò impium est, cùm Apostolò prædicante*, ipsa sit columna et firmamentum veritatis.

e

* 1. Timoth. 3. v. 15.

Min. demonstratur. Vulgata nostra est ea, quæ partim ex Veteri Italâ, partim ex iis sacris libris, quos Hieronymus latinè reddidit, vel emendavit, coalesit. Atqui hæc est, quæ tot sæculorum usu in ipsâ Ecclesiâ probata est ppa. Ergo p.

Maj. habetur ex iis, quæ supra de istâ editione diseruimus. Min. verò patet ex inspectione, et lectione Scriptò-

rum, et operum, quæ plusquam à mille et centum annis, tum à Patribus, tum à Doctoribus, Concionatoribus, Pastoribus, Interpretibus, imò ab Ecclesiâ ipsâ, et Conciliis hæderæ usque ad nostra tempora vulgata fuêre ℘. Ergò ℘. 1.45. 1.47.

Pb. 2do autoritate SS. Patrum. 1.16.

1o. S. Augustinus supra laudatus* Italam versionem cæteris omnibus latinis editionibus præferendam esse ait. S. Hieronymi verò versionem, et emendationem sacræ Scripturæ hisce commendat*, Non defuit, inquit, temporibus nostris Presbyter Hieronymus homo doctissimus, et trium linguarum peritissimus, qui ex Hebræo in Latinum divinas Scripturas convertit, cujus tantum litterarum laborem Hebræi fatentur esse veracem. Et ejusdem Hieronymi versionem, seu potiùs emendationem Novi Testamenti omnibus probari asserit, Epist. 10. ad Hieronym.

* lib. 2. de Doct. Christ. c. 15.

* lib. 18. de civ. c. 43.

2o. S. Gregorius Magnus, Quia hæc, inquit* nova /: S. Hieronymi :/ translatio ex Hebræo nobis eloquio cuncta verius transfudisse perhibetur, credendum est, quidquid in eâ dicitur; et oportet, ut verba illius nostra expositio subtilius rimetur.

* lib. 20. moral. c. 24.

3o. S. Isidorus, Presbyter Hieronymus, inquit*, trium linguarum peritissimus, ex Hebræo in Latinum eloquium divinas Scripturas convertit, eloquentérque transfudit, cujus interpretatio meritò cæteris anteponitur. Item, De Hebræo, inquit*, in latinum eloquium tantummodò Hieronymus Presbyter sacras Scripturas convertit, cujus editione generaliter omnes Ecclesiæ usque quaque utuntur, cóquòd verior est in sententiis, et clarior in verbis.

* lib. 6. Etymolog. c. 5.

* lib. 1. de offic. divin. c. 12

146.
~~150.~~

4°. S. Isidoro subscribit Rabanus Maurus lib. 2. de Instit. Cleric. c. 54.

5°. Patres, et Doctores Ecclesiæ, qui deinceps sancti sunt, ut S. Anselmus, S. Bernardus, Rupertus, Haimo, Hugo, Richardus, et alii omnes satis ostendunt, se hanc nostram vulgatam editionem præcæteris probasse, ut pote quam solam explanandam susceperunt. Ergo &c.

6°. Denique, non solùm Latini versionem hanc vulgatam nostram probaverunt, sed etiam Græci, qui quædam Divina Volumina à Hieronymo in Latinum ex Hebræo translata, ipsi ex latino in græcum transfuderunt, ut ipse testatur Hieronymus*. Ergò &c.

* De Vir. Illust. in Sophron. Et lib. 2. cont. Ruffin. 117.

Pb. 3tio Rationibus Theologicis.

1°. Habuerunt Hebræi suâ linguâ authenticam Scripturam; Græci quoque habuerunt Græcè authenticam suam Scripturam, id est, Testamentum Vetus ex Versione Septuaginta Interpretum, et Novi Testamenti fontes ipsos. Ergo etiam æquum est, ut Latina Ecclesia haberet suâ linguâ authenticam Scripturam; non autem à mille et plusquam centum annis aliam habuit, quam nostram vulgatam. Ergò etiam ipsa censenda est authentica.

Sta pag 69

2°. In Conciliis generalibus Ecclesiæ aut paucissimi, aut interdum nulli inveniuntur Hebraïcæ, et græcæ linguarum periti. Ergo malè consultum esset Ecclesiæ, si in gravibus rebus non posset fidere Versioni Latinæ illi, quæ à tot jam sæculis in Ecclesiâ obtinuit.

3°. In omni Republicâ Civili necessarium est authenticum, et præcæteris probatum aliquod Legum, quibus Cives, et subditi astricti sunt, et juxta quas obortæ lites ultimatò dirimuntur, instrumen-

tum. Ergò à multò fortiori ratione tale Authenticum, et præ cæteris probatum Divinarum Legum instrumentum in Ecclesiâ, quæ est Respublica Spiritualis, erit necessarium. 147. 151.

Ant. patet. Seu enim perpetuæ confusioni Respublica illa esset obnoxia, necnon, extantibus scilicet pluribus hujusmodi Legum sibi invicem contrariantibus instrumentis nulla unquam lites dirimi, et definiri possent.

Cons. verò pari ratione firmata manet; eámque roborare videtur Lutherus ipse, cùm, Si diutius, inquit*, Steterit mundus, iterùm erit necessarium, ut propter Diversas Scripturæ interpretationes, quæ nunc sunt, ad conservandam fidei unitatem, Conciliorum decreta recipiamus, atque adea confugiamus. N.B. m

* lib. cont. Zwingl. De verit. Corp. Christi in Eucharist.

Apertissimè verò Beza famosus Calvini Discipulus, dum, Quàm necesse sit in Ecclesiâ Dei, inquit*, extare emendatam Sacrarum nostrarum Tabularum latinam interpretationem /: quæ scilicet ab omnibus recipiatur, et sola auctoritatem obtineat :/ non est, quòd pluribus conemur ostendere ..... Reges et Principes nihil antiquius habere oportet, quàm ut utriusque Testamenti interpretatio semel edatur, cujus, quoad fieri potest, sacra et inviolata sit auctoritas. n

* Præfat. Nov. Test.

Hæc Theodorus Beza, quæ optimè argumentum nostrum confirmant, hoc duntaxat discrimine, quòd Jus illud, quod ipse Regibus, et Principibus Sancti tribuit, nos ultrò Ecclesiæ, et Concilio illinsque Capiti Romano Pontificii adscribamus. Modò cujuslibet, quem partium Studia, atèrque livor nondum penitùs in reprobum sensum præcipitem egêre, judicium esto, nobisne, an Bezæ hîc adstipulandum sit.

4.º Illius jure, et meritò est declarare, et definire, quenam inter varias latinas Scripturarum versiones et editiones pro authenticâ et probatâ sit habenda; cujus est Scripturarum Canonem verúmque, et genuinum sensum definire, et determinare. Atqui hoc pertinet ad Ecclesiam seu Concilium, quod idem exhibet, seu, ut ajunt, repræsentat. Ergo à fortiori ad ipsum pertinebit declarare, et definire quenam Latina Scripturarum versio pro authenticâ sit habenda.

Maj. est aperta. Cujus enim est, Scripturarum Canonem verúmque, ac genuinum sensum tradere, idem utique etiam est decernere in quanam earundem versione aut editione Canon ille genuinúsque sensus accuratè contineatur, adeoque quenam pro authenticâ sit tenenda.

Minor verò à nobis demonstrata est supra cap. 5. et 6. quæ consuli possunt. Ergo &c.

5.º Denique probatur Conclusio nostra argumentò, quod præcipui inter adversarios nostros Scriptores nobis subministrant, ut qui vulgatam nostram Latinam editionem sacrarum Scripturarum mirislaudibus extollunt, idemque contrà illos, qui eam exagitant, et impetunt, patrocinium suscipiunt. Inprimis Joannes Bois Canonicus Ecclesiæ Eliensis in Angliâ eam omninò tuetur*, necnon Erasmo, et Beza vertit in crimen, quòd sine causâ illam deseruerint; atque inter alia, Nulla, inquit*, adhuberit reformatio, nisi ubi subversis ad ruta usque substructionibus nova consurgunt omnia, imò nova adeò nunc spiramus, suspiramúsque omnia, nova lumina, ... novum orbem, novum, quintúmque, si Deo placet, Spiritus Evangelium.

* Collat. Veter. Interpret. cum Recentioribus.

* Præfat. Collat. p.

Sta pag 70

2°. Waltonus magni etiam fecit vulgatam S. Scripturæ Versionem nostram, quia, inquit*, ab Ecclesiâ Romanâ, quæ principem inter Ecclesias locum semper tenuit, et antiquarum traditionum fuit tenacissima, approbata fuit. Sancti Hieronymi versionem laudibus quoque celebrat, quam Judæos textui Hebræo conformem esse etiamnum asseruisse probat ex Rabbi Azariâ, et Rabbi Kimhi, et Aben Ezra.

* Proleg. 10. Poliglot. Anglic.

3°. Ludovicus de Dieu Autorem vulgatæ nostræ Versionis virum eruditissimum fuisse asserit, Quamvis enim, inquit*, illi neque vitia sua, neque barbarismi defuerint, virum tamen esse fateor ingenuitate ac judicio, ibi etiam, ubi barbarus est, commendandum.

* Not. ad Evang.

4°. Grotius Vulgatam nostram suis annotationibus illustrandam suscipiens, Vulgatum Interpretem, inquit, semper plurimi fecit, non modò, quòd multa dogmata insalubria continet, sed etiam, quòd multum habet in se eruditionis.

5°. Paulus Fagius*, omnes illos, qui hanc celeberrimam, ut inquit, vulgatam Versionem invidò dente dilacerarunt, tamquam imprudentes, atque semi-sapientes traduit. Item, Novest ergò, inquit*, temerè nata vulgata editio, ut quidam dudùm temerè et imprudenter clamitant.

* Præfat. ad Translat. Vet. Test.

* c. 4. in vers. lat. Paraphr. Chald.

Hæusti, et alii, quos hic prætermittimus, Catholici in laudem Vulgatæ nostræ et illius Interpretis, adeoque et Concilii Tridentini illam approbantis. Et meritò: Quis enim, nisi omninò insanire malit, vel minimum dubitet, Veteris Vulgatæ, seu Italæ Autorem necnon Hieronymum, à quibus Duobus Vulgatam nostram tenemus, aptiùs instructos fuisse ad eam adornandam, quàm Lutherum aliquem, Calvinum, Bezam, ~~[illegible]~~ aliósque Novatores: Illisque

190. longè auratiora et emendatiora præ manibus fuisse S. Scripturæ apographa, imò fortè autographa, sive hebraïca sive græca; ut potè qui primis illis temporibus, quibus edita fuêre sacra rum litterarum originalia, Novi Testamenti saltem volumina, viciniores erant; quàm habuerint Novatores nostri, quibus nonnisi longâ temporum serie depravata supererant sacræ Scripturæ exemplaria, quæ vanis, impuris, et ad genium confictis, prout notat Cochlæus*, interpretationibus magis adhuc depravaverunt.

u * De vit. et act. Lutheri an. 1522.

Non satis, igitur, mirari possumus, quòd sacrum Tridentinum Concilium, adeoque Ecclesiam ipsam criminari audeant, quòd Versionem hanc à tam sanis, et doctis Interpretibus confectam, necnon tot seculorum serie unanimi Patrum, Doctorum, Conciliorum, p. consensu in Ecclesiâ constanter receptam velut authenticam, et ab omni fidei, aut morum errore immunem declaraverit.

Solvuntur Objectiones adversùs Conclusionem nostram.

118. Ob. 1.º Chemnitius, vel potius mentitur*; Concilium Tridentinum ideò voluit vulgatam editionem esse authenticam, quia tota transformata est ad Dogmata Pontificia p. Ergò vel ex hoc capite rejicienda.

x * In exam. Sess. 4. Conc. Trid.

Resp. cùm certum sit, vulgatam editionem nostram esse antiquissimam, prout apertè demonstravimus, inde etiam manifestum est, Dogmata Pontificia, ad quæ eam transformatam asserit Chemnitius, etiam esse antiquissima, utpotè quæ primis jam Ecclesiæ temporibus ipsi Apostoli scriptò consignarint, atque ab antiquò Interprete latinò translata fuerint, et Ecclesiæ transmissa: unde Chemnitius proprio suò argumentò se confodit.

7tima pag. 71

151. 119.

Ob. 2.do Illud Instrumentum authenticum dicitur, quod autographo seu Originali suo per omnia est conforme. Atqui talis non est vulgata latina editio. Ergò malè eam authenticam declaravit Concilium Tridentinum. Maj. est apertа. Min. prob. ab inductione mendorum, quibus ipsa scatet. Ergò &c.

Resp. absolutè loquendo, neg. Maj. Ad hoc enim, ut Scriptum aliquod, seu apographum censeatur authenticum, sufficit, quòd præ cæteris apographis seu exemplaribus omnimodam fidem mereatur, atque quoad substantialia à suo autographo seu Originali minimè dissentiat. Atqui hujusmodi est Vulgata nostra, et hoc sensu eam authenticam declaravit Ecclesia in Concilio Tridentino congregata; scilicet, quòd inter cæteras latinas editiones, quæ tùm temporis circumferebantur, esset fidelissima, nec quidquam contineret, quod tradita, et ab Apostolis scriptò consignata fidei Christianæ esset contrarium, ut potè quæ tot Seculorum longò usu in Ecclesiâ semper probata fuerit.

Ad Min. Resp. Equidem in vulgatâ nostrâ menda aliqua reperiri, quæ Amanuensium, et Librariorum inuriâ, vel ignorantiâ in illam irepserunt. At cùm nec fidem, nec mores tangant, nihil ipsius authentitati à Patribus Concilii Stabilita id officit, ut potè quæ comparativa duntaxat sit ad reliquas latinas editiones, fidémque, et mores tantùm respiciat. Id ultrò agnovit ipsummet Concilium, undè et decla-

3 * Sess. 4.

tum edidit*, ut porthac sacra Scriptura editio quàm emendatissimè imprimatur; quod Decretum Pius IV. Pontifex

2 * In præfat. Edit Rom. Bibl.

maximus executioni mandari fecit*, aliquot S. R. E. Cardinalibus, aliisque tum Sacrarum Litterarum, tum variarum linguarum peritissimis viris collatâ provinciâ, ut vulgatam editionem Latinam adhibitis antiquissimis Codicibus Manuscriptis, inspectis quoque Hebraicis, Græcisque Bibliorum fontibus accuratissimè castigarent.

120. Ob. 3.º Ut apographum aliquod authentium declaretur, oportet, ut cum autographô ~~commoat~~ conferatur. Atqui vulgatam cum suo autographô non contulit Synodus Tridentina. Ergo ~~non~~ nec eam authenticam declarare potuit.

Maj. est aperta, atque essentiam authentici apographi connotat. Min. autem ultrò à nobis conceditur, atque vel ipsa menda, et errata Scripturæ nostris latinis adspersa eam manifestant. Ergò.

Resp. Dist. Maj. Ut apographum aliquod p. nisi aliunde ipsius authenticitas comprobari posit, conc. maj. Si aliunde ipsius authenticitas comprobari, et haberi posit. neg. maj. Equidem Synodus Tridentina, cùm Vulgatam nostram authenticam declaravit, eam cum originalibus, seu fontibus hebraïs, et græis non contulit; nec enim tùm de iis erat quæstio, sed duntaxat quænam inter varias illius temporis editiones latinas præstaret; dumque pro Vulgatâ sententiam tulit, ad id duntaxat respexit, quod illa subiect plurimorum sæculorum usu in Ecclesiâ tanquam germana originalis Scripturæ versio

probata fuisset; quod utique maximum 153.
illius authentiitatis argumentum erat;
nisi quis impudenter dicere malit, Ecle-
siam plusquam mille et centum anno-
rum spatiô depravatâ Scripturâ fuisse
usam.

Ob. 4.to Magis credendum est, idem 121.
esse Verbum Dei, quod habetur in fonti-
bus Hebraïcorum, et Græcorum Codicum,
quàm quod habetur in rivulis versionum.
Ergo Vulgata editio, ut potè versio dum-
taxat, quæ Verbum Dei velut in rivulô
tantum continere videtur, tantam fi-
dem non meretur, ac ipsi fontes hebrai-
ci, et Græci; adeoque nec authentica
nuncupari potest.

Resp. Dist. Ant. Magis creden-
dum est p. quando constat, fontes ilos
non esse turbatos, conc. Secus neg.
ant. Alibi jam ostendimus, fontes
sacræ Scripturæ multis in locis turbidos
fluere; et certè vix dubitari potest,
quin, sicut Latina Ecclesia constantior
fuit in retinendâ fide, quàm Græca;
ita etiam vigilantior fuerit in suis Co-
dicibus à corruptione defendendis. Et
verò ubinam sunt hebraici, et Græci
fontes illi S. Scripturæ; profectò jam
dudum perierunt, et præter exscripta
illorum apographa nihil habemus.

Inst. Hebræi, et Græci Codices 122.
sunt Prophetarum, et Apostolorum, qui
errare non potuerunt: Latini autem
sunt variorum Interpretum, qui errare
potuerunt. Ergo ab Hebræis, et Græcis
Codicibus Scripturæ authentiitas repeti
debet, non à Latinâ quadam Versione,
cujusmodi est vulgata nostra, ut potè
erori obnoxiâ.

8. 72

154.
~~158.~~ Resp. Neg. Hebraeos, et Graecos Prophetarum et Apostolorum Codices, quos modò pre manibus habemus, esse ipsorum autographa, seu ea ipsa, quae ipsi enararunt, sed illorum apographa duntaxat, seu exemplaria, quemadmodum et Latini Codices; unde qui priores exscripserunt, etiam erori obnoxii fuerunt, aeque ac Latini Interpretes. quare nihil probat objectio. Certè Codices tùm hebrei tùm Graeci, qui fontes nuncupantur, jam ante Concilium Tridentinum puri non fluebant. Igitur meritò Concilium istud Scripturae authentitatem ab eâ Latinâ versione, quae quamplurimis saeculis jam Ecclesiae universalis usu probata fuerat, repetit. praesertim cùm ibi de authenticitate comparativâ ad caeteras Latinas editiones duntaxat ageretur, hebraïcò et graecò textibus intactis relictis. Equidem concedimus, Latinos Interpretes nostros erori fuisse obnoxios; neque eorum versionem Concilium ita probavit, ut asseret, nullos in eâ librariorum erores reperiri; sed certos nos reddere voluit, in iis praesertim, quae ad fidem et mores pertinent, nuda esse in hac versione Interpretum errata. ~~[illegible]~~

123

Caput Octavum.

De ponderibus, monetis, mensuris et vasis, quae S. Scriptura passim commemorat. Item de anno et mensibus Hebraeorum, necnon Massorâ et Massorethis

Antequam de singulis S. Scripturae libris specialim tractemus, opere preti-

um duximus, hic ea paucis refere, quæ ~~159~~ 155.
de variis ponderibus, monetis, mensuris et vasis, quorum frequens est in S. Scripturâ mentio, necnon de annô et mensibus Hebræorum, atque de Masorâ et Masorethis, Tractatores sacri tradunt.

De Monetis.

Variæ fuerunt apud antiquos moneta, quas etiam Scriptura commemorat, hæque præcipuè numerantur: As, Obolus, Denarius, Drachma, didrachma Siclus seu Stater, Mna seu Mina, et Talentum.

As antiquitùs fuit pondus vulgatissimum pondo, seu pondium alio nomine dictum. constabat autem tunc As librâ æris; unde As quasi As librale dici creditur. Hanc æris libram, seu assem postèa Romani juxtà 12. anni menses in duodecim partes divisêre, quas uncias vocarûnt; undè uncia erat pars duodecima assis, sextans erat pars sexta, quadrans quarta, triens tertia, et semis seu semissis dimidium. Sed quia temporis successu factum est, ut loco æris appensi, captum sit uti ære signatô, et longè levioris ponderis, valórque cujusunque monetæ desumi coeperit non tam à materiâ moneta, quæ paulatim magis ac magis immutata est, quàm à figurâ monetæ impressâ; inde fit, quòd hodie As seu pondo non libram unam seu 12. uncias Romanas contineat, sicuti tunc continebat, sed sit parva moneta ærea, quam Germani cruciferum vin kreutzer vocant, seu potiùs trientem Drey Pfenning, seu Drey Zwerger, unum valens Bajocum Italicum, seu me-

15b. 16a. Diurn obolum Hebraum, seu decimam partem Julii Italici, vel Regalis Hispanici, sive Drachmæ Atticæ, vel Denarii.

125. Obolus alius est Atticus, seu Athenienſis, alius Hebræus. Obolus Atticus est sexta pars Drachmæ Atticæ*; Obolus verò Hebræus est vigesima pars Sicli argentei, adeoque æquivalet duobus asibus; Sicilus enim argenteus quadraginta asibus constat. Atticus Obolus Hebræo minor est, quippe qui vigesima quarta tantùm pars sit Sicli argentei.

* seu Athenienſis ab Athenis græcæ urbe

126. Denarius juxta Budæum apud Romanos erat nummus argenteus quatuor sestertios valens, ita dictus, quòd pro decem asibus in solutionem cederet, seu ut alii explicant, erat nummus aureus, vel argenteus: aureus decem valebat argenteos, unde Denarius dictus; argenteus verò decem valebat cupri ases, quare et Denarius pariter vocatus. erat enim certa moneta species unius Drachmæ argenteæ valens 10. ases, atque statutum diurni laboris præmium.

127. Drachma moneta Attica primùm tempore Regni Græcorum, idest, Alexandri Magni, ab Hebræis usurpari cœpit; antè ida tempora, quid Drachma esset, Hebræis ignotum fuit. Drachma igitur Attica argentea, de quâ vulgò loquimur, est quarta pars Sicli, potestque considerari, vel ut est genus ponderis, vel ut est genus numismatis seu monetæ: ut genus ponderis, est octava pars uncia ex 18. Siliquis, seu ex sex obolis, vel ex tribus Scrupulis constans. Est autem Siliqua juxta Budæum apud Romanos minimi ponderis genus, tertiam Oboli, sextam Scrupuli, et decimam octavam Drachmæ partem conficiens: tres enim Siliquæ faciunt Obolum, duo Oboli Scrupulum, tria

Scrupula Drachmam, sicut et octo Drachma Uniam, et Uniae duodecim libram minorem seu communem; majorem enim libram sexdecim Uniis conficiunt. Drachma autem spectata, ut est genus aliquod numismatis seu moneta, est certa moneta species valens Denarium Romanum. 157. ~~161.~~

Didrachma, seu Didrachmum, vel Drachma Hebrea erat certa moneta seu numismatis species duas pendens, vel valens Drachmas Atticas, unde ad comparationem Drachmae Atticae Didrachma, quasi bis seu duplex Drachma nuncupabatur: valebat ergò duas Drachmas Atticas, seu dimidium argenti Siclum, hoc est, 20. Asses. 128.

Siclus erat argenti numisma, seu moneta apud Hebraeos usitatissima, ponderans, et valens Semiuniam, seu quatuor Drachmas Atticas argenti, duas verò Hebraeas tantùm, aequivalens quatuor Julijs Italicis, seu florenô Germanicô, duabusque libris Gallicis. Dici solebat alio nomine Stater, quae vox Graeca Hebraïcè idem est ac Sekel, hoc est, Siclus, sive pondus. Tunc enim pecunia figurâ non signabatur, quemadmodum nunc signatur, sed ad pondus tantùm appendebatur: Judaei aequè ac Romani rudem aeris, aut argenti, vel auri massam ad certum pondus libratam et aestimatam locô pretii et pecuniae adhibebant: Siclusque ponderabat quatuor Drachmas Atticas, ut dictum. Ubi autem successu temporis hanc aeris, aut argenti, vel auri massam, sive monetam figurâ consignare coeperunt, Siclus apud Hebraeos 129.

ita signatus erat, ut haberet ex unâ parte Urnam cum Manna cum hâc inscriptione, Sekel Israël, idest, Siclus Israëlis; ex alterâ verò parte referret Virgam Aaronis floridam cum hâc inscriptione, Jerusalem Kedesa, hoc est, Jerusalem Sancta; qui Siclus, licèt figurâ signatus, debebat etiam esse justi ponderis, atque ut id ubique servaretur, et ne fraudi locus esset, Siclus asservabatur in Sanctuario justissimi ponderis, et velut sacer, ad quem appendi et examinari possent cæteri, ut habetur Levitici c. ult. v. 25. Advertendum tamen, quòd illos Siclos Hebraïcos primi omnium signare coeperint Assamonæi seu Machabæi tempore Simonis Machabæi; antiquos enim et horum antecessores Hebræos nunquam Siclos suos signasse compertum habemus. Quoties ergò in Scripturâ legitur Argentum vel Aurum sine addito, justò communiorem, et probabiliorem opinionem semper Siclus videtur intelligendus, quæ opinio, si vera est, pro triginta florenis germanicis, seu sexaginta libris gallicis aut centum viginti Juliis Italicus à Judâ proditore venditus fuit Servator noster Jesus Christus: Non dissimulandum tamen, hâc de re variare Doctores.

130. Mna seu Mina est vox Attica significans apud Athenienses tam certam ponderis, quàm numismatis seu monetæ speciem, quæ Latinè dicta est Mina, Græcè Mna et Hebraïcè Manéh. Alia erat Attica, alia Hebræa: Mina Attica continebat 25. Siclos; Hebræa 50. Utraque tamen in pondere centum habebat Drachmas, Hebræa Hebræas, et Attica Atticas.

Talentum erat certi generis numis- 129.
~~130.~~
131.
ma, seu moneta omnium maxima continens Minas 60. quæ Minæ, cùm essent apud varios varia pro diversitate Drachmarum ita et Talentum apud varios erat multiplex et varium; aliud enim erat Euboicum, aliud Ptolomaïcum, aliud Syrium aliud Tyrium, aliud Antiochenum, aliud Babylonicum; sed inter illa omnia duo fuêre celeberrima, Atticum videlicet, et Hebræum. Hæc omnia Talenta, licèt essent pondere et pretiô disparia, in hoc tamen conveniebant, quòd singula 60. sui generis Minis constarent, sicut et singulæ Minæ centum ubique Drachmas explebant. Sed cùm pro diversitate Drachmarum Minæ essent majores, vel minores, ita etiam et Talenta. Unde Hebræum Talentum est duplô majus quàm Atticum, valet enim tria millia Siclorum, seu Florenorum Rhenanorum; Atticum verò mille quingentos. Talentô Atticô ne dum Athenienses, sed cæteri Græci, nec non etiam Romani, aliæque nationes ferè omnes; Hebræi verò Hebræô utebantur. Talentum insuper aliud erat aureum, argenteum aliud, quæ æqualis erant ponderis, sed disparis pretii: cùm enim proportio pretii auri ad argenti pretium sit duodecupla, sequitur, quòd auri Talentum unum æquivaleat 12. argenti Talentis; adeò ut Talentum aureum Hebræum summam 36000. Siclorum, seu Florenorum Rhenanorum, Atticum verò 17000. conficiat.

De Mensuris ac Vasis.

Species mensurarum, ac vasorum 132.
præcipuæ sunt Corus, Cadus, Batus, Ephi, Amphora, Urna, Hydria, Metreta, Artaba, Modius, Hin, Congius, Sextarius, Cabus, Gomor, Cyatus.

132. ~~131.~~ 133. Corus Græcorum, seu Chomer Hebræorum erat aridorum p. g. frumenti, mensura omnium maxima, nempè onus seu mensura oneris, quod bajulare posit asinus; Unde asinus apud ipsos dictus est Chamor. Continet autem decem Ephi, seu 30. Modios; media verò pars, seu dimidium Cori dicitur Lethek seu Elevatio, quia est onus, seu mensura oneris, quod robustus et vegetus adolescens elevare posit, et asino imponere, continens quinque Ephi, seu quindecim Modios.

134 Cadus erat apud Hebræos species vasis seu mensuræ liquidorum, capiens sicut Amphora Attica tres Urnas, seu duodecim Congios, vel aquæ, aut vini libras 20. et dicebatur Hebraïcè Chod, græcè Kados; Latinè Cadus, Germanicè dicitur Ein Hafn. Ein Tonne, Galliè Une Caque, un Baril, Italicè Barille.

135. Batus est pariter liquidorum Hebræa mensura genus, ejusdem capacitatis ac Ephi, capiens decimam partem Cori, adeoque tres Modios, seu octo congios, vel 48. Sextarios Romanos, vel duas Urnas Romanas. Adverte tamen duplicem apud Hebræos fuisse Batum, majorem unum, minorem alterum; major capiebat metretam unam cum dimidia; minor autem idem erat ac Metreta, seu ejusdem mensura.

136. Amphora erat certa vasis species seu certa liquidorum mensura duas habens ansas, quibus utrinque ferri pos-

3

4753

set. Dicebatur alio nomine Quadrantal, seu pes cubicus, vel Quadratus ex eo, quòd esset figura ex omni parte quadrata, haberetque tam in longitudine, quàm in latitudine, tam in profunditate, quàm in altitudine pedem Romanum. Capiebat autem hujusmodi Amphora Romana Urnas duas, seu tres modios, quemadmodùm et illa vasis species, quo Ephi dicebatur, undè Ephi idem est ac Amphora; Ephi enim vox hebræa, Amphora verò Latina est. 161. 165.

Urna erat certum mensuræ genus quatuor capiens Congios, seu Sextarios Romanos viginti quatuor, vel dimidium Ephi seu Amphoræ Romanæ, et prout explicant alii, Urna erat, et adhuc est vas, quo aqua ex puteis, vel fluminibus hauriri solet, ita dictum, quòd subter aquam demersum, et inde rursùs sursùm emergens urinantis speciem referre videatur. Antiquitùs tamen dicebatur Urna vas illud, in quo Judicum suffragia colligebantur; imò et illud aliud, in quo reclusi servabantur defunctorum cineres. 137.

Hydria erat vas aquarium, seu vasis genus ad continendam aquam destinatum, æqualis capacitatis cum Cadô et Amphorâ Atticâ, tres continens Urnas, seu 12. Congios, vel aquæ libras centum viginti. Credibile tamen est, non omnes æqualis capacitatis fuisse Hydrias, sed alias minoris, majoris alias, seu quandam majores fuisse, alias minores. 138.

~~162.~~ ~~160.~~ 139. Metreta est genus vasis, seu mensura, quod vulgò à metiendo Metreta vocatum est; eratque eadem mensura Græcis, ac Bath sive Batus Hebræis, æqualisque capacitatis cum Ephi, continens juxtâ Budæum io. congios, vel iz. juxtâ S. Epiphanium*.

b *lib. de mensur. et pond.

140. Artaba erat mensura genus septuaginta duos capiens Sextarios, inquit S. Epiphanius*. At, prout alii volunt, triplex erat, Persica nempe, Medica, et Ægyptia: Persica capiebat Medimnum et tres Cabos, Medica Medimnum, Ægyptia verò, de qua hic sermo est, quinque Modios. Medimnus autem erat aliud mensura genus senos capiens modios, seu Amphoras duas, vel Italici frumenti libras centum viginti.

c *Ibid.

141. Modius erat genus Romanæ mensuræ, quâ frumenta, aliâque hujusmodi mensurabantur et dispensabantur; unde Modius quasi modus, quo dispensanda erant, dicebatur, eratque tertia pars Amphoræ Romanæ, seu Ephi capiens Sextarios Romanos sexdecim seu triginta duas Heminas, vel viginti sex libras aquæ vel vini; frumenti verò viginti libras tantùm, et æqualis erat Modius Sato: Satum enim erat genus mensuræ aridorum continens Modium Italicum.

142. Hin Ditio Hebraïca, erat, teste Josephò, apud Hebræos certum mensuræ genus, duos continens Choas sive

Congios, hoc est, duodecim Sextarios Hebræos; duo enim Choa, sive Congii faciunt duodecim Sextarios Hebræos, ditos Hebraïcè Logim, et Latinè Logos, octo verò duntaxat Sextarios Romanos. unde sequitur, quartam partem Hin olei tusi fuisse tres Hebræos olei tusi Sextarios, duos verò Romanos tantum, seu tres circiter olei tusi libras. Dicit Josephus olei tusi, quia, ut notat Cornelius à Lapide, oleum hoc non debebat esse attritu molæ expressum, quod impurius est, sed pilò benè tusum, vel certè sponte fluens, quod purius atque limpidius est. 143.

Congius, qui et alio nomine Chus sive Choa ab antiquis dicebatur, erat certum liquidorum mensuræ genus, octavam juxta Budæum Ephi partem capiens, seu Sextarios Romanos sex, hoc est, Heminas sive Cotylas Atticas duodecim. Cotyla enim, alio nomine Hemina dita, erat aliud mensuræ genus dimidium Sextarii continens, ac proinde sex Sextarios capiens Congius, duodecim Heminas capiebat, seu Cotylas. Ab illo mensuræ genere, quod Congius dicitur, Novellius Torquatus Mediolanensis dicitur cognominatus fuisse Tricongius, eò quòd olim coram Tiberiò Cæsare unicò haustu tres vini Congios siccasset. 143.

Sextarius erat magnus Scyphus duas Heminas, seu duas Cotylas, vel sextam partem Congii continens; unde Sextarius dictus, sicut Quartanus à 144.

quartâ parte, Acetabulum ab octavâ, et Cyatus à duodecimâ parte ejusdem Sextarii. Triplex vulgò erat Sextarius, Romanus videlicet, Attius, et Hebræus. Romanus erat Attiô major, et Attius Hebræô. Capiebat enim Romanus duodecim Cyatos, Attius, et Hebræus alio nomine Log seu Logus dictus octo tantùm, sed pondere impari. Romanus viginti uncias vini, vel aquæ, Attius quindecim, et Hebræus tredecim duntaxat continebat.

145. Cabus Hebræorum, sive Choenix Græcorum, erat certum mensuræ genus continens quartam partem Modii, seu quatuor Logos, vel Sextarios Hebræos; eratque mensura victûs diurni unius hominis, capiens quatuor libras, et quinque uncias; Unde quarta pars Cabi erat libra una cum unciâ unâ, sive tredecim uncia.

146. Gomor sive Asaron erat mensuræ genus, quo maximè per quadraginta annos in desertô ad metiendum Manna usi sunt Hebræi; eratque talis, ut caperet decimam partem Ephi, et octo aquæ ~~vel vini, vel~~ frumenti contineret libras, sufficiebatque ad diurnum cujusumque etiam robustioris hominis victum: Non tamen continebat octo Manna libras; Manna enim, cùm longè levior esset frumentô æqualis ponderiserat cum farina, et Gomor Mannâ plenum quinquaginta circiter

uncias, et non ultrà, ponderabat; et 165.
hinc est, quòd Hebræi Gomore uno
Mannâ plenô egerent pro victu diur-
nô, eóque quotidie vescerentur sin-
guli.

Cyathus erat vasculi seu cali- 147.
cis genus, quod in conviviis ad meti-
endum, hauriendumque adhiberi so-
let, germanicè Becher, Italicè Bo-
cale, Gallicè gobelet, duodecimam
Sextarii Romani partem capiens;
et sicut Ephi, seu Amphora Roma-
na duas continebat Urnas, Urna
quatuor Congios, Congius sex Sexta-
rios, Sextarius duodecim Cyathos,
ita et Cyathus quatuor Cochlearia
seu Ligulas. Cochleare autem, sive
Ligula, est mensura omnium mi-
nima, seu vasculum figura oblon-
ga, in formam Ligulæ, omnium
minimum, alio nomine et per apo-
copen, sin deurtationem ultimæ littera
Cochlear dictum ideo, quod ad cochleas,
aliasque hujusmodi escas in mensis sumen-
das, vel hauriendas inserviat.

De Mensuris Longitudinis.

Mensuræ longitudinis, de qui- 148.
bus in Sacris Litteris fit mentio præci-
pua sunt: Digitus, Palmus, Pes,
Cubitus, Passus, Ulna, Stadium, Mil-
liare.

Digitus, quamvis passim pro unâ 149.
seu singulari aliquâ ex illis quinque
manûs nostræ extremis partibus suma-

S. 77

166. ~~149~~ tur, tamen interdum accipitur pro quodam mensuræ genere; estque decima sexta pars pedis, sive mensura, vel latitudo unius digiti transversim positi omnium minima, quatuor continens hordei grana transversim posita.

150. Palmus Duplex est, major seu extensus, et minor seu contractus. Iste est mensura quatuor digitorum transversim positorum. Major verò, qui et Spithama nuncupatur, est spatium trium palmorum minorum, seu duodecim digitorum, vel extensio illa, quæ est inter pollicem, et indicem manus extensæ.

151. Pes, quamvis passim sumatur pro eâ corporis parte, quâ ad gradiendum utimur, est tamen quoddam mensuræ genus vulgatissimum, et ubique notum, quo mensurantur terræ, continetque quatuor palmos, seu sexdecim digitos transversim positos.

152. Cubitus vulgaris tam apud Romanos, quàm Græcos et Hebræos est pes cum dimidio, hoc est, sex palmorum communium seu minorum sive viginti quatuor digitorum, vel duorum palmorum extensorum seu majorum; estque longitudo seu extensio à flexu brachii usque ad extremum digiti longioris extensi; sive est quarta pars Staturæ hominis benè formati: quisquis enim benè formatus homo habet

quatuor sui cubitos, seu pedes sui sex, 167. ~~171.~~
et totidem facit cubitos, vel pedes, ubi
sua brachia in latum extendit.

Passus duplex est, compositus 153.
nimirum et simplex. Passus compo-
situs seu major, quo utuntur geome-
tra, undè et dictus geometricus, est
spatium quinque pedum, sive vi-
ginti palmorum. Passus verò sim-
plex et minor, qui dicitur gressus, est
dimidium passûs geometrici, seu
spatium duorum pedum cum dimi-
diò.

Ulna est genus mensuræ tan- 154
tam capientis longitudinem, quan-
tam complectuntur duo brachia utrin-
que extensa, seu est duorum brachio-
rum extensorum longitudo. Varia
tamen nunc apud varias nationes
est Ulna. Soli gali seu Parisien-
ses assignatam à nobis Ulnæ longi-
tudinem retinere videntur: cete-
ræ plerumque nationes, dimidio illam
decurtant, adeò ut apud germanos
v.g. Ulna unius brachii longitudi-
nem non excedat, imò nec attingat,
si Viennenses excipias, quorum Ulna
longitudinem brachii cum dimidiò attin-
git.

Stadium, prout Sacra Scriptu- 155.
ra de eo mentionem facit, est mensu-
ra centum viginti quinque passuum;
curriculum enim, hoc est, locus sive
spatium illud, in quo cursu et luta-

~~172.~~ tione exercebantur antiqui, totidem continebat passus, et Stadium dicebatur à Stando, sive à Statione, eò quòd Hercules eo centum viginti quinque passuum spatiò uno spiritu confectò, stetisse fingebatur. Est duplex Græcum scilicet, et Romanum; Græcum centum duntaxat, Romanum verò centum viginti quinque passus compositos seu geometricos continet, estque octava pars milliaris, seu mille passuum.

156. Milliare, idem est ac mille, Milliare enim Italicum à mille passibus, quos continet, dictum est; et duplicatum facit Leucam unam.

De Anno et Mensibus Hebræorum.

157. Apud Hebræos Annus duodecim Lunarium mensium periodò concluditur; singuli menses proinde alternò ordine 30. et 29. diebus constant, initiò tamen facto ab eo Mense, qui 30. dies numerat.

158. Porro duplex anni initium ipsi statuunt, unum in Autumnò, alterum in Vere. Annus ad civiles usus Autumnò, ad Sacros autem, seu ad ea, quæ Dei cultum respiciunt, ut sunt festa, Vere incipit, quâ anni ætate Romani etiam annum incipiebant.

159. Primus igitur Mensis anni Civilis, et Septimus anni Sacri, seu Ecclesiastici Tizri nuncupatur. Triginta diebus constat, et idus prima dies seu Neo-

menia Lunationi seu Novilunio Septembris nostri respondet. Secundus anni civilis, et octavus anni Sacri Mensis Marschevan, sive Bul 3. Reg. c. 6. v. 38. dicitur; est 29. dierum, et Lunationi Octobris nostri respondet. Casleu tertius anni civilis et nonus anni Sacri, 30. dierum, Lunationi Novembris respondet. Thebet quartus anni civilis et decimus Ecclesiastici, 29. dierum, et Lunationi Decembris respondens. Sebath sive Scheveth, quintus anni civilis, et undecimus Sacri, 30. dierum, Lunationi Januarii respondens.

Addar sextus mensis anni civilis, et duodecimus Ecclesiastici, 29. dierum, Lunationi Februarii respondens. Nisan sive Abib Exod. 13. v. 4. Septimus mensis anni civilis, et primus anni Sacri, 30. dierum, et Lunationi Martii respondens. Jiar seu Zio vel Zis, 3. Reg. 6. v. 1. Octavus mensis anni civilis, et secundus Ecclesiastici 29. dierum, et Lunationi Aprilis respondens. Sivan nonus anni civilis et tertius Ecclesiastici 30. dierum, Lunationi Maji respondens. Thamuz sive Thammuz decimus anni civilis, et quartus anni Sacri, 29. dierum, Lunationi Junii respondens. Ab undecimus mensis anni civilis, et quintus Ecclesiastici, 30. dierum, Lunationi Julii respondens. Elul duodecimus mensis anni civilis et sextus Sacri, 29. dierum, Lunationi Augusti respondens.

Cum autem hi Hebraeorum menses ad Lunae cursum exarati, breviorem nostro, qui ad annum Solis cursum mensuratur, annum efficiant. Annus enim Solaris 365. diebus, 5. horis, 48. minutis, et 37. secundis definitur; Lunaris verò 354. diebus dumtaxat. Hinc Hebraei, ut damnum illud resarciant, singulis trien-

160.
143.

678

170.
~~174.~~ nis unum mensem intercalarem adjiciunt; ut sic annorum periodus cum Solis cursu constet; hunequé mensem, quod illum post mensem Adar sextum anni civilis, et duodecimum Ecclesiastici Februario nostro respondentem collocent, Ve-Adar, idest, Secundum Adar appellant.

160. De Massorâ et Massorethis.

Massora vox hebraea Traditionem sonans, ex verbo Masar, nempè tradere, dare offere. Massoretho verò diti sunt Doctores illi Hebraeorum, qui lectionem Sacri textûs determinarûnt, additis punctis vocalibus, quo puncta scilicet vocales consonantibus adjungendas significarent, et exprimerent, sicque earum defectum supplerent, et marginalibus notis, quo in Biblîis Hebraïis impressis ocurrunt; et qui religiosâ sedulitate verba omnia, versus, literas ujusumque libri numerarûnt, ne temporis successu aliquid mutari contingeret, eademque lectio semperet fixa permaneret. Cùm enim Hebraei saepissimè sine vocalibus sonum vocis determinantibus scribere soleant, nonnisi traditionibus quibusdam à patre in filium derivatis, rationem quasdam consonantes legendi acceperant, quae sanè variam induere poterant significationem pro vocalium varietate, quae supplevi debebant. Sic tres littera d.b.r. exprimere possunt dabar, verbum; vel ipse dixit; dabir, atrium; daber, mors; dabber, loquere; p. Traditione igitur statutum est, quam in singulis ubi forte ocurrunt, eadem vocabula significationem obtineant. Quam Traditionem Massoretho firmam ratamque punctorum vocalium ope effecerunt; unde illis nomen Massoretho, eorumque operi Massora, sive Traditio inditum.

Quotempore Massora Autores hi seu Massoretho florere coeperint, incertum, sanè verisimillimum videtur eos seculum nonum, vel ad summum, septimum non excedere. Et hisce parti primae Tractatûs nostri de S. Scripturâ finem imponimus.

7

81